08.61
.V56P

OPUSCULA ET TEXTUS

HISTORIAM ECCLESIAE EIUSQUE VITAM ATQUE DOCTRINAM ILLUSTRANTIA

SERIES SCHOLASTICA ET MYSTICA

EDITA CURANTIBUS

M. GRABMANN ET FR. PELSTER S. J.

FASC. III

S. THOMAE DE AQUINO

QUAESTIONES DE NATURA FIDEI

EX COMMENTARIO IN LIBRI TERTII SENTENTIARUM DISTINCTIONES 23 ET 24 SECUNDUM FIDEM MANUSCRIPTORUM DENUO

EDIDIT

FRANCISCUS PELSTER S. J.

MONASTERII 1926
TYPIS ASCHENDORFF

S. THOMAE DE AQUINO

QUAESTIONES DE NATURA FIDEI

EX COMMENTARIO IN LIBRI TERTII SENTENTIARUM
DISTINCTIONES 23 ET 24
SECUNDUM FIDEM MANUSCRIPTORUM DENUO

EDIDIT

FRANCISCUS PELSTER S. J.

MONASTERII 1926
TYPIS ASCHENDORFF

25999

Cum facultate superiorum ordinis.

IMPRIMATUR.

Monasterii, die 29. Maji 1926.

Nr. 3020. Meis
Vicarius Eppi Gnlis.

Introductio.

Ratio editionis. 1. S. Thomas tribus praecipue locis agit de virtute fidei: In tertio libro Sententiarum dd. 23—25; in Quaestionibus de veritate q. 14; in Summa theologica 2 II^{ae} qq. 1—7. Ex his quaestionibus eae selectae sunt quibus in 3. libro Sententiarum dd. 23—24 tractatur de ipsa natura fidei. Etenim hic liber studentibus theologiae multo minus praesto esse solet quam alia Aquinatis opera. Deinde ut clarius perspiciatur, quam evolutionem etiam in hac quaestione Thomae doctrina subierit, ab illo quod tempore prius est opere incipiendum videtur. Hic autem est Commentarius in librum Sententiarum (c. 1252—1256). Sequuntur Quaestiones disputatae de veritate (1256—1259), Secunda secundae (c. 1269—1272). Denique his quaestionibus occasio praebetur introducendi scholares in cognitionem et ipsius libri Sententiarum, cuius distinctiones respondentes praecedunt textum Thomae, et viae atque methodi, qua saeculo decimo tertio usi sunt magni illi Petri Lombardi commentatores.

2. Textus libri Sententiarum sumptus est ex cod. lat. Monac. 18109 (Tegernsee) [membr. ff. 294, 32×23 cm (2 col.) saec. 12, ff. 184^{r}—187^{r}]. Lectiones variantes adduntur ex codd. Trecensi (Troyes) 900 [membr. ff. 226 saec. 12 (a. 1158)]; Monac. lat. 4522 (Benediktbeuren) [membr. ff. 171, 35×21 cm (2 col.) saec. 12 ex., ff. 115^{r}—116^{v}]. Vat. lat. 688 [membr. ff. 422, 34×21,8 cm (2 col.) saec. 13 ex., 253^{r}—256^{v}] Variantes Cod. Trecensis, quem ipse non inspexi, cum licentia editorum sumpsi ex editione libri Sententiarum ad Claras Aquas (Quaracchi) a. 1916 facta. Codicem Vat. lat. 688, quo iam editores usi sunt, denuo contuli. Textus codicis Monac. 18109 ut fundamentum editionis electus est, non quod sit melioris notae quam Trecensis ab editoribus adhibiti, sed solummodo ut specimen daretur codicis multum antiqui et optimae notae. Eadem de causa lectiones variantes codicis Monac. 4522 dedi. Ceterum, ut patet, editionem criticam Collegii S. Bonaventurae semper ante oculos habui. In textu constituendo ita feci, ut tunc solum a cod. lat. Mon. 18109 discederem, si alia lectio erat evidenter probabilior.

3. Textus S. Thomae editus secundum codicem Vat.-Ottob. lat. 190 [membr. ff. 173, 34×23,2 cm (2 col) saec. 13 ex.,

ff. 83r—95v]. Lectiones variantes sumptae sunt ex codice Vat. lat. 755 [membr. ff. 162, 34×25 (2 col.) saec. 14 in., ff. 80r—91r] et ex codice Vat. Borghes. 111 [membr. ff. 230, 31,2×21,8 cm (2 col.) saec. 14 in., ff. 119r—134r]. Forte utile est asserere intentionem non fuisse, ut fieret editio proprie dicta critica, sed solummodo, ut ope quorundam manuscriptorum textus bonus constitueretur. Textum autographi, quod extat in Bibliotheca Vaticana non adhibui tum propter nimiam difficultatem legendi, tum quia hoc autographum non est redactio definitiva auctoris. Codices Vat.-Ottob. 190 et Vat. 755 praebent textum bonum, sed non omni ex parte perfectum. Cod. Vat.-Borgh. 111, etsi multo minoris momenti sit, tamen aliquoties meliorem lectionem habet quam alii duo codices. Ne arbitraria fiat editio, tunc solum recessi a lectione codicis Ottob., quando alia certo melior erat.

Litteratura. Praeter Commentaria in librum tertium Sententiarum et in Secundam secundae, quae in Nomenclatore Litterario ab Hurter edito, videre est, atque varias praelectiones dogmaticas tractantes de fide e. gr. Bartmann, Billot, Diekamp, Heinrich, Mazzella, van Noort, Pesch, Pohle, Scheeben, Schiffini ex libris vel commentationibus recentioribus quaedam nominentur:

Adam K., Glauben und Glaubensgewißheit im Katholizismus, Rottenburg a. N. 1922.

Bainvel J. V., La Foi et l'Acte de Foi, Paris 1898.

Chenu M. D., Contribution à l'Histoire du Traité de la Foi. Commentaire historique de IIa IIae q. 1 a. 2: Mélanges Thomistes, Le Saulchoir, Kain 1923, 123—140.

Idem, Pro fidei supernaturalitate illustranda: Xenia Thomistica 3, Romae 1925, 297—307.

Gardeil A., La Crédibilité et l'Apologétique, Paris 1912.

Harent S., Foi: Dictionnaire de Théologie Catholique Fasc. 42—43, Paris 1913, 55—514. Litteratura ampla invenitur eodem opere sub voce Crédibilité V. 3.

Lefebvre A., L'Acte de Foi ed. 3, Paris 1923.

Straub A., De analysi fidei, Oeniponte 1922.

Schultes R. M., Fides implicita, Regensburg 1920.

Wilmers G., De fide divina, Ratisbonae 1902.

Signa codicum: Mt = Monacensis 18109, Mb = Monacensis 4522, U = Trecensis 900, Z = Vaticanus 688, O = Ottobonianus 190, V = Vaticanus 755, B = Borghesianus 111.

[Petri Lombardi libri tertii Sententiarum] Distinccio 23ª.

Mt f. 184

Si Christus habuit fidem, spem ut caritatem.

Cum vero supra[1] perhibitum sit Christum plenum gracia fuisse, non est supervacuum inquirere, utrum fidem et spem sicut caritatem habuerit. Si enim his caruit, non videtur plenitudinem gratiarum habuisse. Ut autem hec questio valeat apertius explicari, de his singulis aliqua in medium proferenda sunt: et primum de || fide secundum mensuram, cuius precipit Apostolus[2] unicuique sapere. f. 184va

Quid sit fides.

„Fides est virtus, qua creduntur que non videntur“[3]. Quod tamen non de omnibus que non videntur accipiendum est, sed de his tantum que credere, ut ait Augustinus[4], „ad religionem pertinet“. Multa enim sunt, que si christianus ignoret, nichil metuendum est, quia non ideo a religione deviat.

Quot modis dicitur fides.

Accipitur autem fides tribus modis, scilicet pro eo quo creditur, et est virtus; et pro eo quo creditur,

2 *add Mt m. 2 Z* 3 ut] et *Mb m. 1* ut *m. 2* 4 cum vero] cumque *U* cum *Z* 6 habuit *Z* 7 gratie *Mb* 8 apertius *om U* 9 et *om Z* 13 fides autem Z 16 pertinent *Mb* 18 a] ad *Mb*

[1] L. 3 d. 13. Ed. ad Claras Aquas (1916) II, 603. [2] Cf. Rom 12, 3. [3] Cf. Augustinus, Quaest. Evang. l. 2 c. 39 ML 35, 1352. Enchiridion c. 81 ML 40, 235. [4] Enchir. c. 8 ML 40, 234, c. 9 l. c. 235.

et non est virtus; et pro eo quod creditur, quod aliud est ab eo quo creditur. Unde Augustinus[1] inquit: „Aliud sunt ea que creduntur, aliud fides, qua creduntur.“ Illa enim in rebus sunt, que vel esse vel fuisse vel futura esse dicuntur. Hec autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cuius est. Et tamen nomine fidei censetur utrumque, et illud scilicet quo creditur et id quod creditur. Id quod creditur dicitur fides sicut ibi: „Hec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit“[2]. Fides autem qua creditur, si caritate fit, virtus est, quia „caritas“, ut ait Ambrosius[3], „mater est omnium virtutum“, que omnes informat, sine qua nulla vera virtus est. Fides ergo operans per dilectionem virtus est, qua non visa creduntur. Hec est fundamentum, quod mutari non potest, ut ait Apostolus[4], que posita in fundamento neminem
f. 184vβ perire sinit. Unde Augustinus[5]: „fundamentum est Christus Iesus id est Christi fides, scilicet que per dilectionem operatur, per quam Christus habitat in cordibus“[6], que neminem perire sinit. Alia vero non est fundamentum. Fides enim sine dilectione inanis est. Fides cum dilectione christiani est. Alia demonis est; nam et „demones credunt et contremiscunt“[7]. Sed multum interest, utrum quis credat Christum vel Christo vel in Christum; nam ipsum esse Christum demones crediderunt nec tamen in Christum crediderunt.

---

3 aliud$_1$] alia *Z* aliud est *Z* 7 quod *UMbZ* 8 quod$_1$] quo *UMbZ* 11 cum caritate *UMbZ* sit *U* 21 cordibus nostris *Mb* 24 et$_1$ *om Z* 25—28 Sed—crediderunt. *Contra ultimam editionem hanc sententiam reposui in fine huius capituli. Ita enim habent manuscripta. Ex se autem sententiam ad utrumque capitulum trahi potest.*

[1] De trin. l. 13 c. 2 n. 5 ML 42, 1016 sq. [2] Symbol. Athan. [3] Cf. In ep. ad Rom 14, 1 ML 17, 167: ne scandalum passus a caritate, quae quasi mater est animarum, recedat. [4] Cf. 1 Cor 3, 11. 14. [5] Cf. De fide et operibus c. 16 n. 27 ML 40, 215. [6] Eph 3, 17. [7] Jac 2, 19

Quid sit credere Deum vel Deo vel in Deum.

Aliud est enim credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo est credere vera esse que loquitur, quod et mali faciunt, et nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum est credere quod ipse sit Deus, quod et mali faciunt. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adherere et eius membris incorporari. Per hanc fidem iustificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari. Ea enim sola bona opera dicenda sunt, que fiunt per dilectionem Dei. Ipsa etiam dilectio opus fidei dicitur. Fides igitur, quam demones habent et falsi christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine caritate est. Nam et malos fidem habere, cum tamen caritate careant, Apostolus[1] ostendit dicens: „Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero“ || et cetera. f. 185ra
Que fides etiam donum Dei dici potest, quia et in malis quedam dona Dei sunt.

An illa informis qualitas mentis, que in malo christiano est, fiat virtus, cum fit bonus.

Si vero queritur, utrum illa informis qualitas, qua malus christianus universa credit que bonus christianus accedente caritate, remaneat et fiat virtus, an ipsa eliminetur et alia qualitas succedat, que virtus sit: utrumlibet sine periculo dici potest. Michi tamen videtur quod illa qualitas, que prius erat, remaneat et accessu caritatis virtus fiat.

Quo sensu dicatur una fides.

Cumque diversis modis dicatur fides, fatendum est tamen unam esse fidem, ut ait Apostolus[2]: „unus

2 enim *om Z* in Deum] Deum *Mb* 3 Deum] in Deum *Mb* 6 est] esse *Mt* et] etiam *UZ* 12 etiam] enim *MtZ* 13 habent$_1$ *om UMbZ* 16 ostendit dicens] dicit *Z* 18 etiam] et Z 21 virtus] fructus *Z* 25 qualitas] caritas Z *m. 1* qualitas *m. 2* 29 ex quo *MbZ* 30 cumque] et licet *Mb* vel cumque *in marg. Mb*

[1] 1 Cor 13, 2. [2] Eph 4, 5.

dominus, una fides“. Sive enim accipiatur fides pro eo quod creditur sive pro eo quo creditur, recte dicitur fides una. Si pro eo quod creditur accipiatur, ex hac intelligentia dicitur una fides, quia idem iubemur credere et unum idemque est quod creditur a cunctis fidelibus. Unde fides catholica dicitur id est universalis. Si vero accipitur fides pro eo quo creditur, ea ratione dicitur una esse fides, non quia sit una numero in omnibus, sed genere id est similitudine. Unde Augustinus[1]: „Fides, quam qui habent fideles vocantur et qui non habent infideles, communis est omnibus fidelibus, sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habeant.
f. 185rβ Non enim fides numero est una, sed genere; que ‖ cum sit in uno, est et in aliis, non ipsa, sed similis. Et propter similitudinem magis unam dicimus esse, quam multas, sicut idem volentium dicitur voluntas una, cum cuique sit sua voluntas et duorum simillimorum dicitur facies una.“

Quod fides est de his, que non videntur proprie, que tamen videretur ab eo, in quo est.

Notandum quoque est quod fides proprie de non apparentibus tantum est. Unde Gregorius[2]: „Apparentia non habent fidem, sed agnitionem“. Idem[3]: „Cum Paulus dicat »Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium« hoc veraciter dicitur credi quod non valet videri. Nam credi iam non potest quod videri potest.“ „Thomas aliud vidit et aliud credidit, hominem vidit et Deum confessus est dicens. »Deus meus et dominus meus«“[4].

1 et una *MbZ* 3 esse una fides *Z* 11 qui *om Mt* 18 tamen unicuique *Z* 20 quod *om Mt* 20—21 est—est] proprie de non apparentibus tantum est *Z* 25 dicit *Mb* 26 hic *Mt* 28 iam *om Z*

[1] De trin. l. 13 c. 2 n. 5 ML 42, 1016. [2] Hom. in evang. 26 n. 8 ML 76, 1202. [3] Dial. l. 4 c. 6 ML 77, 329. [4] Hom. in evang. 26 n. 8 ML 76, 1202.

De hoc etiam Augustinus[1] ait: „Fidem ipsam videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit; non sicut corpora, que videmus oculis, et per ipsarum imagines, quas memoria tenemus, etiam absentia cogitamus; nec sicut ea que non vidimus et ex his que vidimus cogitatione utcumque formamus et memorie commendamus; nec sicut hominem, cuius animam, etsi non videmus, ex nostra conicimus et ex motibus corporis hominem, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde, in quo est, ab eo cuius est, sed eam tenet certissima scientia.

Cum igitur ideo credere iubeatur, quia id quod credere iubemur videre non possumus: ipsam tamen fidem, quando est in nobis, videmus in nobis, || quia f. 185va et rerum absentium presens est fides et rerum, que foris sunt, intus est fides et rerum, que non videntur, videtur fides. Et ipsa temporaliter fit in cordibus hominum et, si ex fidelibus infideles fiunt, perit ab eis.“ His evidenter traditur fidem ipsam in corde hominis ab ipso homine videri non corporaliter, non inmaginarie, sed intellectualiter et ipsam tamen absentium et eorum que non videntur esse. Ut enim Augustinus[2] alibi ait: „Credimus, ut cognoscamus, non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim fides nisi credere que non vides. Fides ergo est quod non vides credere; veritas quod credidisti videre.“ Unde recte fides dicitur „argumentum vel coniunctio (convictio) rerum non apparentium“[3]; quia si fides est,

---

3 oculis corporis *UMbZ m. 1* vel corporeis *Z m. 2* 4 in memoria *Z* 6 cognitione *Z* 7 hominem videmus *Z* 8 cognoscimus *Z* vel conicimus *in marg. Z* 13 hoc ideo *Z* iubeamur *UMbZ* 16 absentiam *Mt* 20 his verbis *Z* 21 non inmaginarie] non uti magno *Mb* vel non imaginarie *in marg. Mb* 22 tantum *Mb* absentiam *Mb* 23 et *om Z*

[1] De trin. l. 13 c. 1 n. 3 ML 42, 1014 sq. [2] In evang. Joan. tr. 40 n. 9 ML 35, 1690. [3] Hebr 11, 1.

ex eo convincitur et probatur aliqua esse non apparentia, cum fides non sit nisi de non apparentibus.

Descriptio fidei.

Ait enim Apostolus: „Fides est sperandarum rerum argumentum vel coniunctio (convictio) non apparentium“ [1]; quia per fidem subsistunt in nobis etiam modo speranda et subsistent in futuro per experientiam. Et ipsa est probatio et convictio non apparentium, quia si quis de eis dubitet, per fidem probantur, ut adhuc probatur futura resurrectio, quia ita credide-
f. 185^{vb} runt patriarche et alii sancti; vel probatio est et certitudo quod sint aliqua non apparentia, ut supra dictum. Proprie autem fides dicitur substantia rerum sperandarum, quia sperandis substat et quia fundamentum est || bonorum, quod nemo mutare potest.

Si illa descriptio spei conveniat.

Si vero queritur, an hec descriptio spei conveniat, sane concedi potest utrumlibet. Si autem dicatur convenire, sunt et alia plura quibus differunt fides et spes. Sed non improbe dici potest soli fidei convenire, non spei; quia fides sola fundamentum dicitur, non quia fides virtus possit esse sine spe et caritate. Unde Augustinus[2]: „Fides operans per dilectionem[3] utique sine spe non potest esse nec amor sine spe nec sine amore spes nec utrumque sine fide. Et fides sine amore nichil prodest.“ Potest tamen credi aliquid quod non speratur. Nichil autem potest sperari quod non creditur. Ideoque credere, quod est actus fidei, naturaliter precedit sperare, quod est actus spei; quia nisi

---

5 convictio *tantum U* convictio *in marg. Mb* 8 convictio] cognitio *Mb* 11 est *om Mt* 17 hec] illa *Mb* 18 dicitur *Z* 20 inproprie *Mb* 28 quod] quidem *Mt* 29 quod] quidem *Mt*

[1] In evang. Ioan. tr. 40 n. 9 ML 35, 1690. [2] Enchirid. c. 8 ML 40, 235. [3] Cf. Gal 5, 6.

aliquid credatur, non potest sperari, creditur autem quod non speratur. Inde est quod in scriptura plerumque reperitur quod fides precedit spem et spes sequitur fidem, non quod virtus fidei precedat virtutem spei tempore vel causa, sed quia actus fidei naturaliter precedit actum spei. Quod etiam quidam concedunt de ipsa virtute fidei, ut naturaliter precedat spem, non tempore.

Quare fides sola dicitur fundamentum.

Unde et recte ea sola dicitur fundamentum omnium virtutem et bonorum operum; non autem fundamentum est caritatis, quia non ipsa caritatis, sed caritas ipsius virtutis fidei causa est. Caritas enim causa est et mater omnium virtutum. „Que si desit, frustra habentur cetera. Si autem assit, habentur omnia“ [1]. Caritas enim spiritus sanctus est, ut in superioribus pretaxatum est [2]. Ipsa est ergo causa omnium virtutum, non ipsius aliqua virtutum causa est, quia omnia munera excellit. Unde Augustinus [3]: „Respice ad munera ecclesie et universis excellentius caritatis munus cognosces, que ut oleum non potest premi in imo, sed superexilit.“ Non ergo eius causa vel fundamentum fides est. f. 186ra

Gregorius tamen super Esechielem [4] dicit, „quia nisi prius fides teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem attingitur. Non enim caritas fidem, sed fides caritatem precedit, quia nemo potest amare quod non crediderit“ sicut nec sperare. Sed hoc accipi potest dictum de fide, que virtus non est; ipsa enim spem et caritatem frequenter precedit, vel de actu fidei, qui forte naturaliter actum caritatis precedit sicut actum

12 caritatis] caritas *Mt* 13 enim] autem *Mb* 21 munus esse *Mb m. 2* 22 superexcellit *Mb* 29 dictum esse *Mb m. 2*

[1] Aug. In ev. Ioan. tr. 9 n. 8 ML 35, 1462. [2] L. 1 d. 17 c. 2 ed. I, 106 sqq. [3] Cf. Enarr. in ps. 103 serm. 1 n. 9 ML 37, 1343. In Ioan. tr. 6 n. 20 ML 35, 1435. [4] L. 2 hom. 4 n. 13 ML 76, 981.

spei. Quod verba premissa diligenter notata innuunt et ea etiam que addit dicens[1]: „Nisi ea, inquit, que audis credideris, ad amandum ea que audis non inflammaris.“ Que tantum de non visis est, ut ante diximus. Unde Chrisostomus[2]: „Fides in anima nostra facit subsistere ea que non videntur“, de quibus proprie fides est. De visis enim non est fides, sed agnitio.

Distinccio 24a.

Quomodo intelligitur quod scriptum est: Cum factum fuerit, credatis.

Hic queritur, si fides tantum de non visis est, quomodo veritas apostolis ait[3]: „Nunc dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis“, ubi innui videtur quod fides illis fuerit de factis et visis. Super
f. 186r$^{\beta}$ quo Augustinus[4] movet questionem et ‖ absolvit ita inquiens: „Quid sibi vult, »ut cum factum fuerit credatis«. Hec est laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam et Thomas, cui dictum est[5], »quia vidisti me, et credidisti«, non hoc credidit quod vidit. Cernebat enim et tangebat carnem viventem, quam viderat morientem, et credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat per hoc quod sensibus corporis apparebat. Si vero dicuntur credique videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis credidisse, non ipsa est que in nobis edificatur fides, sed ex rebus, que videntur, agitur in nobis, ut ea credantur que non videntur.“ Ex his aperte intelligitur quod proprie fides non apparentium est nec illa est

---

3—4 inflammaberis *U* 4 tantum] tamen *Z* vel tantum *Z m. 2* 5 Iohannes Crisostomus *Z* 10 intelligendum est *Z* 12 tamen] vel tantum *Z m. 2* 16 solvit *Z* 20—21 Cernebat carnem et tangebat viventem quem *Z* 26 ipsa] illa *Z* 27 agi *Mb*

[1] L. c. [2] Cf. In ep. ad Hebr. hom. 21 n. 2 MG 63, 151. [3] Io 14, 29. [4] In Ioan. tr. 79 n. 1 ML 35, 1837. [5] Io 20, 29.

fides, qua in Christo edificamur, qua dicimus usitata locutione nos ea credere que videmus.

Alibi tamen dicit Augustinus[1] fidem esse de rebus presentibus; quod erit in futuro, cum per speciem Deum presentem contemplabimur. Que tamen non proprie dicitur fides, sed veritas. „Est", inquit, „fides qua creduntur ea que non videntur. Sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis presentibus creditur. Quod erit, cum per speciem manifestam se contemplandam sanctis prebebit Dei sapientia." Sed non proprie hec dicitur fides, inmo fidei merces, ad quam credendo pervenitur, ut ex fide verborum transeat iustus in fidem rerum.

Si Petrus habuit fidem passionis, quando vidit hominem illum pati.

Si vero queritur, utrum Petrus fidem passionis f. 186va habuerit, cum hominem Christum oculis pati cernebat: dicimus eum fidem passionis habuisse, non in eo quod credebat hominem patí, quia hoc videbat, sed in eo quod credebat Deum esse qui paciebatur. Non enim virtus fides erat quod credebatur homo pati et mori, quod Iudeus cernens credebat, sed quod credebatur Deus esse qui paciebatur. Unde Augustinus[2] super illum Psalmi locum: „Respondit ei in via virtutis sue", „laus fidei est, non quia credit hominem illum mortuum, quod et paganus credit, sed quia credit eum glorificatum et verum Deum esse. Credit igitur fides Deum mortuum et hominem glorificatum. Non igitur fuit Petro fides credere hominem illum mori, quod oculis cernebat, sed credere Deum esse qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur quod cre-

---

6 est—fides] eciam fides est *Z* 12 pervenietur *U* 17 habuerit *Z* 23 Deum *U* 24 locum *om Z* 26 quod] quia *Mt Mb* eum] illum *Mb Z* 27 et verum Deum *om Mt* et *om Z* Deum esse *Z*

[1] Quaest. evangeliorum l. 2 q. 39 ML 35, 1352. [2] Cf. Enarr. in ps. 101 serm. 2 n. 7 ML 37, 1308.

dimus hominem illum mortuum, quod et Iudeus credit, sed quia credimus hominem Deum mortuum.

Si aliqua sciuntur que creduntur.

Post hec queri solet, cum fides sit de non apparentibus et non visis, utrum sit etiam de incognitis tantum. Si enim de incognitis tantum est, de his videtur esse tantum que ignorantur. Sed sciendum est quod, cum visio alia sit interior, alia exterior, et non est fides de subiectis exteriori visioni, est tamen de his que visu interiori utcumque capiuntur. Et quedam utique capiuntur, ut intelligantur, etsi non ut in futuro. Quedam autem non, quia cum fides sit ex
f. 186$^{v\beta}$ auditu, || non modo exteriori, sed interiori, non potest esse de eo quod omnino ignoratur. Que ipsa ad sensum corporis non pertinet, ut Augustinus[1] tradit dicens: „Quamvis ex auditu fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet, qui dicitur auditus, quia non est sonus, nec ad ullum sensum corporis pertinet, quoniam cordis est res ista, non corporis.“ Quedam ergo fide creduntur, que intelliguntur naturali ratione, quedam vero, que non intelliguntur.

Unde Propheta[2]: „Nisi credideris, non intelliges.“ Quod Augustinus[3] aperte distinguit: „Alia sunt, inquit, que nisi intelligamus non credimus; alia que nisi credamus non intelligimus.“ Nemo tamen potest credere in Deum, nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu predicationis. Idem[4] in libro De trinitate: „Certa fides utcumque inchoat cognitionem. Cognitio vero

---

1 mortuum esse *Z* 3 Si *om Mt* credantur, que sciantur *Mb* sciantur que credantur *Z* 8 et *om Mb* 11 utique sic *UMb* 14 que] quia *Z* 26 intelligemus *U* 29 utramque *Z* Augustinus habet utcumque *in marg. Z*

[1] De trin. l. 13 c. 2 n. 5 ML 42, 1016. [2] Cf. Is 7, 9. [3] Enarr. in ps. 118 serm. 18 n. 3 ML 37, 1552. [4] De trin. l. 9 c. 1 n. 1 ML 42, 961.

certa non perficitur nisi post hanc vitam.“ Ambrosius[1] quoque ait: „Ubi fides, non statim cognitio; ubi cognitio, fides precedit.“ Ex his apparet aliqua credi que non intelliguntur vel sciuntur, nisi prius credantur, quedam vero intelligi aliquando etiam, antequam credantur.

Nec tamen sic intelliguntur modo, ut in futuro scientur, et nunc etiam per fidem, qua mundantur corda, amplius intelliguntur, quia nisi per fidem diligatur Deus, non mundatur cor ad eum sciendum. Unde Augustinus[2]: „Quid est Deum scire nisi eum mente conspicere firmeque percipere? Sed priusquam valeamus perspicere et percipere Deum, sicut percipitur a mundis cordibus: nisi per fidem diligatur, non || poterit f. 187r[a] cor mundari, quo ad eum videndum fit aptum.“

Ecce hic aperte habes quia non potest sciri Deus, nisi prius diligendo credatur. Supra[3] autem dictum est quod nemo potest credere in Deum, nisi aliquid intelligatur. Unde colligitur: non possent sciri et intelligi credenda quedam, nisi prius credantur, et quedam non credi, nisi prius intelligantur, et ipsa per fidem amplius intelligi. Nec ea que prius creduntur quam intelligantur penitus ignorantur, cum fides sit ex auditu, ignorantur tamen ex parte, quia non sciuntur. Creditur ergo quod ignoratur, sed non penitus, sicut etiam amatur quod ignoratur. Unde Augustinus[4]: „Sciri aliquid et non diligi potest; diligi vero quod nescitur, quero, utrum possit. Si non potest, nemo diligit Deum, antequam sciat.“ „Ubi autem sunt illa tria: fides, spes, caritas, nisi in animo credente quod nondum scit, et sperante et amante quod credit. Amatur ergo et quod ignoratur, sed tamen creditur“[5].

---

7 qua] quia *Mb* 10 Angustinus in libro VIII de trinitate *Z* 11 sed et *U* 14 sit *U* 18 posse *UMb* 24 ergo eciam *Z* 29 fides et spes et caritas *Mb*

[1] Cf. In ps. 118 serm. 10 n. 31 ML 15, 1342 CSEL 62, 222. [2] De trin. l. 8 c. 4 n. 6 ML 42, 951. [3] p. 16. [4] De trin. l. c. [5] L. c.

[S. Thomae de Aquino Commentarii In librum tertium Sententiarum Distinctio XXIII]

[Divisio textus.]

O f. 83ra „Cum vero supra sit habitum etc.“ Postquam determinavit Magister de hiis que ad Christum pertinent, quibus nos effective reparavit, hic incipit determinare de reparantibus formaliter, que sunt habitus gratuiti animam informantes.

Dividitur autem hec pars in duas: In prima determinat de ipsis habitibus gratuitis, in secunda de preceptis, quibus habitus ipsi in suos actus diriguntur, XXXVII d. ibi „Sed iam distribucio decalogi“ etc. Prima dividitur in duas: In prima determinat de ipsis habitibus secundum se per singula; in secunda determinat de connexione eorum ad invicem, XXXVI d. ibi „Solet eciam inquiri, utrum virtutes“ etc. Prima in duas: In prima determinat de habitibus virtutum; in secunda de donis, XXXIII d. ibi „Nunc de VII donis“ etc. Prima in duas: In prima determinat de virtutibus theologicis; in secunda de virtutibus cardinalibus, XXXIII d. ibi „Post predicta de virtutibus“ et cetera. Prima dividitur in 3: In prima determinat de fide; in secunda de spe, XXVI d. ibi „Est autem spes virtus“ etc; in 3a determinat de caritate, XXVII d. ibi „Cum autem Christus fidem et spem“ etc.

Prima in tres: In prima determinat de fide secun-

---

13 XXXVIII *O* 16 connexionem *B* 17 queri *B* 21 ibi *om B* 22 virtutibus *om B* 25 XXII *B* 27 tres] 3a *O*

dum se; in secunda de fide per conparacionem ad ea que creduntur, XXIIII d. ibi „Hic queritur, si fides“; in 3ª de ipsa per conparacionem ad eos, qui credunt, XXV d. ibi „Predictis adiciendum“ etc. Circa primum duo facit: Primo continuat se ad precedencia; secundo prosequitur propositum ibi „Fides est virtus“ etc. Et hec pars dividitur in duas secundum quod duas diffiniciones fidei ponit; secunda incipit ibi „Notandum quoque, quod fides“ etc.

Circa primum tria facit: Primo diffinit fidem; secundo exponit diffinicionem quantum ad hanc particulam „Que non videntur“, ibi „Quod tamen non de omnibus“ etc; quantum vero ad hanc particulam „Virtus“ ibi „Accipitur autem fides“; quantum vero ad hanc particulam „Que creduntur“ ibi „Aliud est credere in Deum“. 3^0 manifestat quedam que possunt esse dubia ex predictis, que duo sunt: Primum est ibi „Si vero queritur, utrum“ etc; secundum ibi „Cumque diversis modis“. „Notandum quoque est, quod fides“ etc. Hic ponit aliam diffinicionem fidei. Et circa hoc 3ª facit: Primo venatur diffinicionem; secundo diffinit, ibi „Ait enim Apostolus“ etc; 3^0 movet questionem circa predictam diffinicionem ibi „Si vero queritur“ etc.

Hic est triplex questio: Prima de virtutibus in generali, secunda de fide communiter, 3ª de formacione et informitate fidei. f. 83rβ

Circa primum queruntur V: Primo de necessitate habituum; secundo, quomodo habitus, qui sunt in nobis, cognoscimus; 3^0 utrum virtutes sint habitus; 4^0 de divisione virtutum in intellectuales, morales et theologicas, V^0 de numero virtutum theologicarum.

---

6 etc. *om O* 9 quod fides *om V* 12 non$_1$ *om B* 13 vero] autem *VB* 14 vero *om B* 17 est] eo *B* 18 utrum etc] utrum illa *VB* 21 venatur *om B* 22—23 questionem quandam *VB* 25 prima est *B* 30 cognoscamus *VB*

[Quaestio secunda.]

f. 86$^{v\beta}$ Deinde queritur specialiter de fide. Et circa hoc queruntur V: Primo quid sit fides, 2^0 de actu eius, 3^0 de subiecto, 4^0 an sit virtus, 5^0 de ordine eius ad alias virtutes.

[Articulus 1.]

Utrum diffinitio Apostoli de fide sit sufficiens secundum omnem sui partem[1].

[1.] Ad primum sic proceditur: Apostolus Hebr XI 1 dicit quod fides est substancia sperandarum rerum, argumentum non apparencium. Et videtur quod inconvenienter diffiniat fidem: Nullus habitus est substancia. Fides est habitus. Ergo non est substancia.

2. Preterea: diffinicio debet dari ex prioribus et ex hiis que per se sunt. Sed obiectum per se fidei non est res speranda, sed res credenda et spes est posterior fide. Ergo debuit dicere rerum credendarum et non rerum sperandarum.

3. Preterea: sicut ad fidem sequitur spes, ita et caritas. Quia caritas est magis proprinqua fini quam spes, ergo debuit dicere quod est substancia rerum diligendarum magis quam rerum sperandarum.

4. Preterea: fides est de hiis que sunt supra racionem. Sed argumentum est actus racionis. Ergo fides non est argumentum.

5. Preterea: idem non debet poni in diversis generibus. Sed argumentum est aliud genus quam substancia. Ergo male diffinitur per utrumque.

6. Preterea: ea que sunt vera et non apparencia sunt dubia. Sed non apparencia possunt esse vera

7—8 *Inscriptio habetur solummodo ut rubrica in marg. V* 9 videtur quod sicut Apostolus *B* 13 ergo fides *B* est$_2$ *om B* 16 fiunt *O* 17—18 sed—credenda *om B* 20 et preterea *V* 31 sunt—apparencia *om O* vere *V*

[1] Cf. De ver. q. 14 a. 2; S. th. 2. 2 q. 4 a. 1.

ignota. Ergo cum fides sit cognicio quedam, videtur quod magis debuit dicere dubiorum quam non apparencium.

7. Preterea: cognicio precedit affeccionem. Sed hoc quod dicit argumentum non apparencium pertinet ad cognicionem; quod autem dicit substancia rerum sperandarum pertinet ad affeccionem. Ergo male ordinavit partes diffiniciones.

8. Preterea: unius rei una est diffinicio sicut unum esse. Sed de fide multe dantur alie diffiniciones. Ergo hec non videtur esse sufficiens.

Respondeo dicendum quod dicta assignacio Apostoli est recta et propria diffinicio fidei quantum ad ea que exiguntur ad diffinicionem, quamvis non quantum ad modum diffinicionis; quem auctores et philosophi neglexerunt, sicut eciam et formam sillogismi pretermittunt ponentes ea ex quibus sillogismus formari potest. Habitus autem quilibet per actum cognoscitur et actus ex obiecto specificatur et ex fine bonitatem habet. Et ideo Apostolus diffinit fidem per duo, scilicet per conparacionem ad obiectum, quod est „res non apparens“, scilicet secundum naturalem cognicionem et per comparacionem ad finem in hoc quod dicit f. 87ra „substancia rerum sperandarum“.

Quamvis enim idem sit obiectum et finis fidei, tamen non secundum eandem racionem. Est enim Deus obiectum eius, in quantum est prima veritas supra posse naturale nostri intellectus elevata. Et sic dicitur „non apparens“. Est vero finis eius secundum quod est quoddam bonum sui altitudine facultatem humanam excedens, sed sua liberalitate se ipsum communicabilem prebens. Et ex hoc dicitur „res speranda“.

Ad primum ergo dicendum quod fides dicitur sub-

10 dantur] dicuntur *B* 14 diffinicionem] cognicionem *B* 15 quem eciam *O* 21 conparacionem] operacionem *B* 22 secundum] per *B*

stancia, non quia sit in genere substancie, sed quia quandam proprietatem habet substancie. Sicut enim substancia est fundamentum et basis omnium aliorum encium, ita fides est fundamentum tocius spiritualis edificii. Et per hunc modum dicitur eciam quod lux est ypostasis coloris, quia in natura lucis omnes colores fundantur.

Ad II dicendum quod in hoc quod dicit rerum sperandarum non intendit ponere obiectum fidei, sed finem. Finis autem fidei ultimus, quamvis sit ipsa veritas, cuius visio per fidem creditur, non tamen veram dicit racionem finis. Sed cum spes designet quendam motum tendentis in finem, res speranda inportat terminum illius motus et ita importat racionem finis. Finis autem, quantum ad intencionem primus est in omnibus habitibus, qui ad voluntatem pertinent, quamvis sit posterius in adepcione.

Ad 3. dicendum quod amor est communiter et rei iam adepte et rei adipiscende, spes autem est tantum rei adipiscende, quia „quod videt quis, quid sperat“ Ro. VIII 24. Unde cum fides sit de non visis, res speranda inportat relacionem ad finem proprium secundum statum, in quo est fides, non autem res diligenda. Et ideo magis dicit rerum sperandarum quam diligendarum, quia diffinicio ex propriis debet dari.

Ad 4. dicendum quod argumentum proprie dicitur processus racionis de notis ad ignota manifestanda secundum quod dicit Boecius[1], quod est „racio rei dubie faciens fidem“. Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignotorum proba-

---

3 substancie *B* 11 pro fide *V* 18 et *om B* 23 res *om B* 25 proprio *B* 29 facientis *O* et *om OB* 30 in] ex *B*

[1] In Topica Ciceronis l. 1 ML 64, 1048. [Definitio ex ipsis Topicis Ciceronis hausta est.] M. Tullii Ciceronis scripta ed. C. F. W. Müller I. 2 (Lipsiae, Teubner 1902) 426. Item De differentiis topicis l. 1 (initio) ML 64, 1174.

cionem proceditur, ideo dicitur ipsum medium argumentum sive sit signum sive causa sive effectus. Et quia in medio termino vel in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentacionis, ideo tractum est nomen argumenti ad hoc quod quelibet brevis prelibacio future narracionis dicatur argumentum, sicut in epistolis Pauli singulis premittuntur argumenta. Et quia medium vel principium dicitur argumentum, in quantum habet virtutem manifestandi conclusionem, et hoc verius inest ei ex lumine intellectus agentis, cuius est instrumentum, quia „omnia que arguuntur a lumine manifestantur", ut dicitur Eph. V⌊13: ideo ipsum lumen, quo manifestantur principia, sicut principiis manifestantur conclusiones, potest dici argumentum ipsorum principiorum.

Et hiis 3 modis ultimis potest dici fides argumentum: Primo, inquantum ipsa fides est mani festativa f. 87$^{r\beta}$ alterius, sive inquantum unus articulus manifestat alium sicut resurreccio Christi resurreccionem futuram, sive inquantum ex ipsis articulis quedam alia in theologia sillogizantur, sive inquantum fides unius hominis confirmat fidem alterius. Secundo potest dici argumentum, inquantum est prelibacio future visionis, in qua veritas plenarie cognoscitur; 3^0 inquantum lumen infusum, quod est habitus fidei manifestat articulos, sicut lumen intellectus agentis principia manifestat naturaliter cognita. Sed esse argumentum secundum primum modum accidit fidei. Et ideo in diffinicione ponitur argumentum secundum alterum duorum ultimorum modorum.

Ad V dicendum quod argumentum et substancia non ponuntur in diffinicione fidei quasi genera, sed quasi actus, sicut consuetum est quod habitus diffiniuntur per actus, quia ex eis congnoscuntur et istorum actuum unus inportat conparacionem fidei ad

---

3 in$_2$] ex *B* 3—4 arguendo *O* 12 aguntur *O* 17 et] ex *V* 34—35 et—unus] ultimorum actuum unius *B*

obiectum, alius conparacionem eius ad finem ultimum, ut dictum est.

Ad VI dicendum quod dubietas tollit firmitatem adhesionis; quod non tollit hoc quod dicitur non apparens, sed tollit tantum visionem rei credite. Et ideo non potuit dici dubiorum, quia fides habet firmam adhesionem, sed dicitur non apparencium, quia non habet visionem plenam.

Ad VII dicendum quod cognicio fidei ex voluntate procedit, quia nullus credit nisi volens. Et ideo non est mirum, si in diffinicione fidei ea que ad affeccionem pertinent hiis que pertinent ad cognicionem preponantur.

Ad VIII dicendum quod, si diffinicio de re aliqua daretur, que conplete conprehenderet omnia principia rei, non esset unius rei nisi una diffinicio. Sed quia in diffinicionibus quibusdam ponuntur quedam principia sine aliis, ideo contingit variari diffiniciones de una et eadem re. Diffinicio ergo fidei data ab Apostolo conprehendit omnia principia fidei, ex quibus habitus consueverunt diffiniri scilicet finem, obiectum et actum. Ex quibus eciam intelligitur genus et subiectum, quia ex actu cognoscitur, que potencia sit subiectum fidei, et iterum ex actu congnoscitur (!) habitus, quod est genus fidei remotum, et ex fine cognoscitur virtus, quod est genus proximum.

Et hoc eciam ponit Damascenus in 4 libro[1] dicens, quod „fides est rerum, que sperantur ypostasis, rerum, que non videntur, redargucio“. Et addit quoddam accidens fidei scilicet certitudinem, subdens „iudicabilis species et certa et que conprehendi non

8 plenam] alienam *B* 17 quedam *om B* 23—24 quia—subiectum *om OB* 24 et iterum] quia *B*

[1] De fide orthod. l. 4 c. 10 MG 94, 1127. Verbum ypostasis habetur solummodo in antiqua Burgundionis Pisani versione usque adhuc inedita. Cod. Vat. lat. 311 (saec. 13) habet fol. 18ra: Est autem rursus fides eorum, que sperantur ypostasis, id est subsistentia, rerum redargutio, que non videntur.

potest eorum que a Deo nobis annunciata sunt et peticionum nostrarum fruicionis“ [1] id est adimplecionis. Facit enim fides certitudinem et de credendis, secundum quod est argumentum, et de adipiscendis, secundum quod est substancia rerum sperandarum.

Dyonisius autem in libro De divinis nominibus[2] diffinit fidem dicens fides est „manens credencium collocacio, que iustos collocat in virtute et in eis veritatem“. Et hoc est idem quod Apostolus dicit „substancia rerum sperandarum“.

Augustinus[3] autem dicit quod fides est „virtus, qua creduntur que non videntur“. Et hoc est idem quod Apostolus dicit „argumentum non apparencium“. Et eciam in idem re dit quod Damascenus[4] f. 87va dicit quod „fides est non inquisitus consensus“, quia per hoc quod dicit non inquisitus ostenditur quod ea que fidei sunt, non sunt pervia racioni inquirenti.

Hugo autem de Sancto Victore[5] diffinit fidem per accidens quoddam eius, scilicet certitudinem dicens quod „fides est certitudo quedam animi de absentibus supra opinionem et infra scienciam constituta“. Et hoc eciam accidens fidei potest haberi ex diffinicione Apostoli ex hoc quod fides est „argumentum non apparencium“. „Argumentum“ enim inportat certitudinem, unde ponit scienciam supra opinionem; „non apparencium“ vero inportat absenciam cognoscibilis, per quod ponitur fides sub sciencia. Unde patet quod diffinicio Apostoli includit omnes alias diffiniciones de fide datas.

8—9 in$_2$—veritatem] in veritate *V* 9 est *om B* 17 pervia—inquirenti] per viam racionis inquirenda *O* per unam racionem inquirenti *B* 19 scilicet *om B* 24 enim] autem *B* 26 vero] nec *B*

[1] L. c. [2] De divinis nominibus c. 7 § 4 MG 3, 872. Cf. versionem Joannis Scotti Eriugenae ML 122, 1156. Textus autem sumptus est ex translatione Johannis Saraceni (Dionysii Cartusiani Opp. omn. 16 [Tornaci 1902] 351—394): S. Thom. De div. nom. c. 7 lect. 5. [3] Quaest. evang. l. 2 q. 39 ML 35, 1352. [4] De fide orthod. l. 4 c. 11 MG 94, 1128. Versio Burgundionis Vat. lat. 311 f. 18va. [5] De sacram. p. 10 c. 2 ML 176, 330.

[Articulus 2.]

Utrum credere sit cum assensu cogitare sicut dicit Augustinus[1].

Ad secundum sic proceditur: [1.] Videtur quod credere non sit „cum assencione cogitare“, ut Augustinus[2] dicit. Assentire enim voluntatis esse videtur sicut consentire. Sed credere ad cognicionem pertinet. Ergo credere non est assentire.

2. Preterea: cogitare inquisicionem inportat, quia cogitare est simul coagitare. Sed „fides“, ut Damascenus[3] dicit, „est non inquisitus consensus“. Ergo credere, quod est actus fidei, magis est assentire sine cogitacione quam cum cogitacione.

3. Preterea: cogitare est actus cogitative potencie, que ponitur a philosophis in parte sensitiva, cum habeat organum determinatum. Sed ea que fidei sunt solus intellectus percipit. Ergo credere non habet cogitacionem adiunctam.

4. Preterea: si credere est cum assencione cogitare et scire eciam huiusmodi est, ergo scire est idem quod credere. Quod falsum est.

1. Ulterius videtur quod inconvenienter multiplicetur credere, secundum quod est actus fidei. Unius enim habitus unus est actus; ex quo habitus per actus discernuntur. Sed fides est unus habitus. Ergo tantum unus actus debet ei assignari.

2. Preterea: de eo quod demonstratur non est fides, sed sciencia, quia [quod] demonstratur non est non apparens; sed Deum esse demonstrative probatur eciam a philosophis. Ergo actus fidei non est credere Deum esse.

---

2 *Inscriptio est rubrica in V* 5 assentire *B* 15 phisicis *B* 25 unius *O* 26 ei *om B* 28 quia] quod *VB* 30 phisicis *B*

[1] Cf. De ver. q. 14 a. 1; S. th. 2. 2 q. 2 a. 1. [2] De praedest. sanct. c. 2 n. 5 ML 44, 963. [3] De fide orthod. l. 4 c. 11 MG 94, 1128. Cf. pag. 25 n. 4.

3. Preterea: actu fidei discernitur fidelis ab infideli. Sed nullus est ita infidelis, quin credat quod Deus non loquitur nisi verum. Ergo credere vera esse que Deus loquitur non est actus fidei, sed magis credere vera esse que nuncius Dei loquitur. Et sic credere homini magis est actus fidei quam credere Deo.

[4] Preterea: fides et caritas sunt virtutes distincte. Sed amare Deum est actus caritatis. Ergo credendo amare non est fidei actus.

5. Preterea: per hoc quod homo Deum amat in eum tendit et adheret ei et membris eius incorporatur. Ergo videtur quod superflue ponitur ista verborum conculcacio.

1. Ulterius videtur quod actus fidei habeat minorem certitudinem quam actus sciencie[1], quia, ut dicit Hugo de Sancto Victore[2], „fides est certitudo de absentibus infra scienciam et supra opinionem". Ergo sicut fides est certior quam opinio, ita est minus certa quam sciencia.

2. Preterea: certius est quod est dubitacioni inpermixtius, sicut albius est quod est nigro inpermixtius. Sed ea que sunt scita nullo modo possunt habere dubitacionem, ea autem que sunt credita possunt habere aliquem motum dubitacionis salva fide. Ergo fides f. 87v$^{\beta}$ non habet tantam certitudinem sicut sciencia.

3. Preterea: omnis certitudo nostre cognicionis procedit vel ex visione sensus vel ex visione intellectus. Sed fides est de hiis que non videntur a sensu neque intellectu. Ergo fides non habet aliquam certitudinem, ut videtur.

[1] Sed contra Augustinus[3] dicit quod nichil est certius homini sua fide.

---

1 in actu *VB* 6 homini] boni *B* 16 de] ab *B* 20 quod est *om B* quod *om V* 20—21 inpermixtum *B* 23 dubitacionem—habere *om B* 28 neque] et *B*

[1] Cf. S. th. 2. 2 q. 4 a. 8. [2] De sacram. p. 10 c. 2 ML 176, 330. [3] De trin. l. 13 c. 1 n. 3 ML 42, 1014.

2. Preterea: quanto racio, que facit fidem, firmior est, tanto fides fit certior. Set scienciam facit racio humana, que in infinitum deficit a racione divina, que facit fidem.

Ergo fides est multo cercior quam sciencia.

Respondeo dicendum ad I questionem quod, sicut dicit Philosophus in 3 De anima[1], duplex est operacio intellectus: Una, que conprehendit quiditates simplices rerum, et hec operacio vocatur a philosophis formacio vel simplex intelligencia. Et huic intellecto respondet vox inconplexa significans hunc intellectum. Unde sicut in voce inconplexa non invenitur veritas et falsitas, ita nec in hac operacione intellectus. Et ideo sicut vox inconplexa propter hoc quod non est in ea veritas et falsitas non conceditur nec negatur, ita secundum hanc operacionem intellectus non assentit nec dissentit. Et propter hoc in hac operacione non potest inveniri fides, cuius est assentire, sed in alia operacione, qua intellectus conponit et dividit; in qua iam invenitur verum et falsum sicut in enunciacione. Et propter hoc intellectus in hac sua operacione assentit vel dissentit, sicut et enunciacio conceditur aut negatur. Et ideo in hac operacione invenitur fides, que habet assensum.

Cum autem ab assenciendo sentencia dicatur, que, ut dicit Ysaac[2], est determinata accepcio alterius partis contradiccionis, oportet quod qui assentit intellectum ad alteram partem contradiccionis determinet. Quod quidem contingit tripliciter secundum triplicem intel-

2 sciencia *B* 2—3 racionem humanam *B* 8 operacio] comparacio *B* 9 phisicis *B* 10 intelligencia *om. B* 25 sciencia *OB* 29 convenit *OV*

[1] De anima l. 3 c. 6 430a 26—28. Cf. Commentarium Averrois l. 3 text. 21 et Comm. S. Thom. l. 3 lect. 11. [2] Isaak Israeli, Liber definitionum: Opera omnia, Lugduni 1515. Ipsum librum non potui videre. In cod. Vat. lat. 2186 (saec. 13) qui ff. 46v—50r opus Isaak continet, locum non inveni.

lectus nostri consideracionem. Potest enim uno modo considerari intellectus noster secundum se. Et sic determinatur ex presencia intelligibilis, sicut materia determinatur ex presencia forme. Et hoc quidem contingit in hiis que statim lumine intellectus agentis intelligibilia fiunt, sicut sunt prima principia, quorum intellectus est, et similiter determinatur iudicium sensitive partis ex hoc quod sensibile subiacet sensui, quorum principalior et cercior est visus. Et ideo predicta cognicio intellectus vocatur visio.

Alio modo potest considerari intellectus noster secundum ordinem ad racionem, que ad intellectum terminatur. Unde resolvendo conclusiones in principia per se nota earum certitudinem efficit. Et hic est assensus sciencie.

3^0 modo consideratur intellectus in ordine ad voluntatem que quidem omnes vires anime ad actus suos movet. Et hec quidem ad aliquid, quod neque per seipsum videtur neque ad ea que per se videntur resolvi potest, intellectum determinat ex hoc quod reputat dignum illi esse || adherendum propter aliquam racionem, qua bonum videtur ei illi rei adherere, quamvis ista racio ad intellectum terminandum non sufficiat propter inbecillitatem intellectus, qui non videt per se hoc, cui assenciendum racio iudicat neque ipsum ad principia per se nota resolvere valet. Et hoc assentire proprie vocatur credere. Unde et fides captivare dicitur intellectum [1], inquantum non secundum proprium motum ad aliquid determinatur, sed secundum inperium voluntatis. Et sic in credente racio per se intellectum non terminat, set mediante voluntate. f. 88r$^{\alpha}$

Quando vero racio, que movet ad alteram partem,

3—4 intelligibilis—presencia *om O* 6 sunt] patet *V* 13 unde] deinde *V* dum *B* in] et *B* 14 hic] hoc *V* 19 videtur *om B* 21 apprehendendum *B* 28 in quam *O* 30 in *om O* racio] non *B* 31 determinat *O*

[1] 2 Cor 10, 5: captivantes omnem intellectum (versio vet. lat.).

non sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusionem in principia per se nota, neque sufficit ad voluntatem terminandam, ut bonum videatur illi parti adherere: tunc homo opinatur illud cui adheret, et non terminatur intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium. Accipit enim unam partem cum formidine alterius. Et ideo opinans non assentit.

Quando vero homo non habet racionem ad alteram partem magis quam ad alteram, quia ad neutram habet — quod nescientis est — vel quia ad utramque partem habet equalem — quod dubitantis est —: tunc nullo modo assentit, cum nullo modo determinetur eius iudicium, sed equaliter ad diversa se habeat.

Patet ergo ex predictis quod cum assencione cogitare separat credentem ab omnibus aliis. Cum enim cogitacio discursum racionis inportet, intelligens assensum sine cogitacione habet, quia „intellectus principiorum est, que quisque statim probat audita“ secundum Boecium in libro De ebdomadibus[1]. Sciens autem et assensum et cogitacionem habet, sed non cogitacionem cum assensu, sed cogitacionem ante assensum, quia racio ad intellectum resolvendo perducit, ut dictum est. Credens autem habet assensum simul et cogitacionem, quia intellectus ad principia per se nota non perducitur. Unde quantum est in se, adhuc habet motum ad diversa, sed ex extrinseco terminatur ad unum scilicet ex voluntate. Opinans autem habet cogitacionem sine assensu perfecto, sed habet aliquid assensus, in quantum adheret uni magis quam alii. Dubitans autem nichil habet de assensu, sed habet

---

1 non$_1$] neque *B* 10 vel quia *V* et quia *B* neutrum *OV* 11 utramque partem] utrumque *V* utramque *B* 12 sed equalem *VB* 17 intellectus *OB* 19 quis *B* 22 ante] aut *B* 24 habens *B* 29 cognicionem *OV*

[1] De hebdomadibus ML 64, 1311: Communis animi conceptio enuntiatio est, quam quisque probat auditam.

cogitacionem. Nesciens autem neque assensum neque cogitacionem habet.

Ad primum ergo dicendum quod, quia sensus non habet se ad multa, sed determinate unum accipit, quia non confert, ideo determinacio potencie eciam superioris a sensu denominatur; sed differenter, quia determinacio cognicionis ad aliquid dicitur assensus, quia aliquid non precedit, determinacio autem voluntatis ad unum dicitur consensus, quia cogitacionem presupponit, cum qua simul sentit, dum in illud tendit quod racio bonum esse iudicat. Et ideo consentire dicitur voluntas, sed assentire intellectus. f. 88^{rb}

Ad II dicendum quod per hoc quod dicit Damascenus[1] quod fides est non inquisitus consensus excluditur inquisicio racionis intellectum terminantis, non inquisicio voluntatem inclinans. Et ex hoc ipso quod intellectus terminatus non est, remanet motus intellectus, inquantum naturaliter tendit in sui determinacionem. Unde fides consistit media inter duas cogitaciones, una quarum voluntatem inclinat ad credendum, et hec precedit fidem; alia vero tendit ad intellectum eorum que iam credit, et hec est simul cum assensu fidei. Unde dicitur Ysaias VII$_{\text{l}}$ 9[2] „si non crediderit is, non intelligetis".

Ad 3. dicendum quod ista potencia, que a philosophis dicitur cogitativa, est in confinio sensitive et intellective partis, ubi pars sensitiva intellectivam attingit. Habet enim aliquid a parte sensitiva, scilicet quod considerat formas particulares, et habet aliquid ab intellectiva, scilicet quod confert. Unde et in solis hominibus est. Et quia pars sensitiva nocior est quam intellectiva, ideo sicut determinacio intellective partis

---

5 et ideo *V* eciam *om O* 7 cogitacionis *OB* 8 autem *om B* 10 dum] de *O om B* 17 non terminatur *B* intellectui *V* 21 vero *om B* intendit *B* et *om B* 25—26 phisicis *B*

[1] De fide orthod. l. 4 c. 11 MG 94, 1128. Cf. pag. 25 n. 4.
[2] Est versio vet. lat. Cf. Aug. de doctr. christ. l. 2 c. 12 ML 34, 43. Vulgata habet: si non credideritis, non permanebitis.

denominatur, ut dictum est, ita collacio omnis intellectus a cogitacione nominatur.

Ad 4. dicendum quod iam patet ex dictis quod illa assignacio soli credenti convenit.

Ad secundam questionem dicendum quod, sicut ex predictis patet, actus credentis ex tribus dependet, scilicet ex intellectu, qui terminatur ad unum; ex voluntate, que determinat intellectum per suum inperium; ex racione, que inclinat voluntatem. Et secundum hoc 3 actus assignantur fidei. Ex hoc enim quod intellectus terminatur ad unum, actus fidei est credere Deum, quia obiectum fidei Deus est, secundum quod in se consideratur vel aliquid circa ipsum vel ab ipso. Ex hoc vero quod intellectus determinatur a voluntate, secundum hoc actus fidei est credere in Deum id est amando in eum tendere. Est enim voluntatis amare. Secundum autem quod racio inclinat voluntatem, actus fidei est credere Deo. Racio enim, quare voluntas inclinatur ad assenciendum hiis que non videt, est quod Deus ea dicit, sicut homo in hiis que non videt credit testimonio alicuius boni viri, qui videt quod ipse non videt.

Ad I igitur dicendum quod per omnia predicta non nominatur nisi unus actus completus fidei; sed ex diversis, que in fide inveniuntur, diversimode nominatur. Isto enim actu, quo credit in Deum, credit Deo et credit Deum.

Ad secundum dicendum quod, quamvis Deum esse simpliciter possit demonstrari, tamen Deum esse trinum et unum et alia huiusmodi, que fides in Deo credit, demonstrari non possunt; secundum quod est actus fidei credere Deum.

Ad 3. dicendum quod fidelis credit homini, non quia homo, sed in quantum Deus in eo loquitur; quod

---

12 vel secundum *B* 15 credere] tendere *O* 19 in hiis *B* quod] quia *VB* 20 que *om B* 23 igitur] ergo *B* 26 in *om B* 27 in Deum *VB* 29 simpliciter] similiter *OB* 33 fides *B*

ex certis experimentis colligere potest. Infidelis autem non credit Deo in homine loquenti.

Ad 4. dicendum quod amare simpliciter est actus caritatis, sed amando credere est actus fidei per caritatem mote ad actum suum.

Ad V dicendum quod ista 4^{or} pertinent ad fidem secundum || ordinem ad voluntatem, ut dictum est. f. 88$^{v\alpha}$ Voluntas autem est finis, et ideo ista 4^{or} distinguuntur secundum ea que exiguntur ad consecucionem finis. Preexigitur enim primo affeccio ad finem; et ad hoc pertinet credendo amare. Ex amore autem et desiderio finis aliquis in finem moveri incipit; et ad hoc pertinet credendo in eum ire. Motus autem ad finem perducit ad hoc quod aliquis fini coniungatur; et ad hoc pertinet credendo ei adherere. Ex coniunctione autem ad finem aliquis in participacionem perfeccionum finis perducitur; et ad hoc pertinet credendo membris eius incorporari.

Ad 3. questionem dicendum quod certitudo nichil aliud est quam determinacio intellectus ad unum. Tanto autem maior est certitudo, quanto est forcius quod determinacionem causat. Determinatur autem intellectus ad unum tripliciter, ut dictum est. In intellectu enim principiorum causatur determinacio ex hoc quod aliquid per lumen intellectus sufficienter inspici per ipsum potest. In sciencia vero conclusionum causatur determinacio ex hoc quod conclusio secundum actum racionis in principia per se visa resolvitur; in fide vero ex hoc quod voluntas intellectui inperat.

Sed quia voluntas hoc modo non determinat intellectum, ut faciat inspici que creduntur, sicut inspiciuntur principia per se nota vel que in ipsa resolvuntur, sed hoc modo, ut intellectus firmiter uni adhereat: ideo certitudo, que est in sciencia et intellectu, est ex ipsa evidencia eorum, que certa esse dicuntur.

---

1 colligi *O* 9 exquiruntur *B* 10 enim *om O* 16 aliquid *B* 22 terminatur *B* 24 ex] ut *B*

Certitudo autem fidei est ex firma adhesione ad id quod creditur. In hiis ergo que per fidem credimus, racio voluntatem inclinans, ut dictum est, est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur. Que habet maiorem firmitatem quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia vel racio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur. Et ideo fides maiorem habet certitudinem quantum ad firmitatem adhesionis, quam sit certitudo sciencie et intellectus, quamvis in sciencia et intellectu sit maior evidencia eorum quibus assentitur.

Ad I igitur dicendum quod certitudo fidei dicitur media inter certitudinem sciencie et opinionis, non intensive per modum quantitatis continue, sed extensive per modum numeri. Certitudo enim sciencie consistit in duobus scilicet in evidencia et in firmitate adhesionis. Certitudo vero fidei consistit in uno tantum, scilicet in firmitate adhesionis; certitudo vero opinionis in neutro, quamvis certitudo fidei, de qua loquimur, quantum ad illud unum sit vehemencior quam certitudo sciencie quantum ad ista duo. Vel dicendum quod loquitur de fide, que est opinio firmata racionibus, non autem de fide infusa.

Ad II dicendum quod credenti accidit aliquis modus dubitacionis ex hoc quod intellectus eius non est terminatus secundum se in sui intelligibilis visione, sicut est in sciencia et intellectu, sed solum ex inperio voluntatis. Et ideo sciens quantum ad id non recedit a dubitante magis quam credens; sed credens secundum unum scilicet firmitatem adhesionis magis recedit quam sciens secundum illa duo.

Ad 3. dicendum quod racio ex insufficienti procedit, ut dictum est.

---

3 voluntatis *B* 4 que] qui *B* 12 igitur] ergo *VB* 16 in$_1$ *om VB* 17 vero *om B* 26 terminacio *B* 29—30 secundum unum *om B* 32 racio illa *B*

[Articulus 3]

Utrum fides sit in voluntate sicut in subiecto[1].

‖ Ad 3. sic proceditur: [1] Videtur quod fides f. 88vβ
sit in voluntate sicut in subiecto, quia secundum Hugonem de Sancto Victore[2] fides habet in cognicione materiam, sed in affectu substanciam. Sed illud est subiectum accidentis, ubi est sua essencia, que substancia dicitur. Ergo fides est in affectu sicut in subiecto.

2. Preterea: sicut certitudo sciencie est ex intellectu, ita certitudo fidei est ex voluntate, quia credere non potest homo, nisi velit, sicut dicit Augustinus[3]. Sed subiectum sciencie est intellectus. Ergo eadem racione subiectum fidei est voluntas.

3. Preterea: meritum in voluntate consistit. Sed actus fidei est meritorius. Ergo est accidens voluntatis.

4. Preterea: opposita sunt circa idem. Sed infidelitas est in voluntate, quia, secundum quod est in intellectu, habet ignoranciam, que non est peccatum, sed excusat. Ergo et fides est in voluntate.

[1.] Sed contra: Obiectum habitus concordat obiecto potencie, que est subiectum eius. Sed obiectum fidei est verum, quod est obiectum intellectus, non autem bonum, quod est obiectum voluntatis. Ergo subiectum fidei non est voluntas, sed intellectus.

2. Preterea: ad eandem vim pertinet fides et id quod fidei succedit in gloria. Sed id quod fidei succedit, scilicet visio pertinet ad intellectum. Ergo et fides.

[1] Ulterius videtur, quod pertineat ad intellectum

---

2 *inscriptio habetur solum in marg. V.* 7 ubi] nisi *OB* 8 substancia] subiectum *B* 16 accidens] actus *B* 20 et *om B*

[1] Cf. De ver. q. 14 a. 4; S. th. 2. 2 q. 4 a. 2. [2] De sacram. l. 1 p. 10 c. 3 ML 176, 331: In affectu enim substantia fidei invenitur, in cognitione materia. [3] In ev. Ioan. tr. 26 n. 2 ML 35, 1607: credere non potest nisi volens.

practicum. Sicut enim dicit Philosophus in 3. de anima[1], intellectus speculativus nichil dicit de fugiendo vel imitabili. Sed per fidem instruimur, quid facere et quid vitare debeamus. Ergo fides est in practico intellectu.

2 Preterea: intellectus speculativus proporcionaliter respondet ymaginacioni, sicut intellectus practicus estimacioni, que est in parte sensitiva. Sed ymaginacio non facit confidenciam et terrorem, ut dicitur in II De anima[2]; inmo per eam nos habemus ad terribilia ac si essemus in pictura considerantes. Ergo nec intellectus speculativus. Sed fides est principium spei et facit timorem, quia „demones credunt et contimescunt" ut dicitur Iac. I.[3] Ergo fides non est in intellectu speculativo.

3. Preterea: intellectus speculativus non permiscetur voluntati, sed practicus. Fides autem in voluntate et in intellectu consistit, ut dictum est. Ergo subiectum eius non est intellectus speculativus, sed practicus.

[1] Sed contra: intellectus practicus est contingencium operabilium a nobis. Sed fides est eternorum. Ergo fides non est in intellectu practico.

2. Preterea: cognicio practica est causa cognitorum. Sed fides non est causa rerum, que creduntur. Ergo non est in intellectu practico.

[1] Ulterius videtur quod sit virtus intellectualis. Virtus enim intellectualis est que habet pro subiecto intellectum. Sed fidei subiectum est intellectus. Est ergo virtus intellectualis.

2. Preterea: articuli fidei, quorum est fides, sunt

---

2 de] *VOB habent „nisi" quod evidenter falsum est.* 9 et terrorem *om B* 13 timorem] tremorem *V* 13—14 contremiscunt *V* 23 est *om V* 28 subiecto] obiecto *VB*

[1] De anima l. 3 c. 9, 432b 27 sq. Com. Thom. l. 3 lect. 14. [2] L. c. l. 3 c. 3, 427b 21—24. In versione antiquissima graecolatina et in Com. Averrois locus invenitur l. 2 text. 154. Com. Thom. l. 3 lect. 4. [3] Iac 2,19: daemones credunt et contremiscunt.

sicut principia in aliis scienciis; ex quibus theologia procedit. Sed intellectus principiorum est virtus intellectiva, ut patet per Philosophum VI. Ethicorum[1]. Ergo et fides articulorum est virtus intellectualis.

3. Preterea: virtus intellectualis, ut dicit Philosophus in VI. Ethicorum[2], est „per quam non dicitur nisi verum“. Sed fidei falsum subesse non potest. Ergo fides est virtus intellectualis.

[1] Sed contra est, quod Philosophus in VI. Ethicorum[3] dicit quod suspicio non est virtus intellectualis, sicut nec opinio, et eadem racione nec fides, que est ex eorum genere.

2. ‖ Preterea: „virtus est ultimum in re de potencia“, ut dicitur in primo Celi et mundi[4]. Sed fides non ponit intellectum in ultimum sui, quia per ipsam intellectus non terminatur in aliqua visione. Ergo fides non est virtus intellectualis. f. 89ra

Respondeo dicendum ad I questionem quod voluntas inportat actum intellectus sicut eciam actus irascibilis et concupiscibilis. Ad hoc autem quod actus irascibilis et concupiscibilis sit perfectus, oportet quod non solum sit aliquis habitus in voluntate vel racione inperante, sed eciam quod sit aliquis habitus in irascibili vel concupiscibili exequente, ut faciliter actum exequatur. Unde eciam oportet aliquem habitum esse in intellectu ad hoc quod faciliter voluntati obediat in hiis que supra racionem sunt. Et hoc est habitus fidei. Et ideo subiectum fidei est intellectus.

A d I. ergo dicendum quod substancia non sumitur

2—3 intellectualis *VB* 3 in VI *V* 15 primo] principio *O* 20 actus] actum *VB* 23 operante *B* 24—25 ira vel concupiscencia *B* 26 consequatur *B*

[1] Cf. Ethic. l. 6 c. 6, 1141a 7; Com. Thom. l. 6 lect. 5. [2] Cf. l. 6 c. 3, 1139b 15—16; Com. Thom. l. 6 lect. 3. [3] Cf. l. 6 c. 3, 1139b 17; Com. Thom. l. 6 lect. 3. [4] De coelo et mundo l. 1 c. 11, 281a 14. Com. Thom. l. 1 lect. 25. Textus ex antiqua versione arabico-latina sumptus est.

ibi pro essencia, sed pro forma. Fidei autem forma quodammodo est caritas, ut infra patebit[1], que in voluntate est.

Ad secundum dicendum quod ipsa sciencia et intellectus habent certitudinem per id quod ad cognicionem pertinet scilicet evidenciam eius cui assentitur. Fides autem habet certitudinem ab eo quod est extra genus cognicionis in genere affeccionis existens. Et ideo sciencia et intellectus est sicut in subiecto in eo a quo habet certitudinem, non autem fides.

Ad 3. dicendum quod meritum consistit in voluntate sicut in causa, in quantum ipsa inportat semper actum meritorium, non autem semper in ipsa est sicut in subiecto, quia actus meritorius quandoque elicitur ab aliis potenciis.

Ad 4. dicendum quod est infidelitas eciam in intellectu sicut in subiecto, in voluntate autem sicut in inperante infidelitatis actum. Et est actus infidelitatis demeritorius.

Ad II. questionem dicendum quod intellectus speculativus et practicus in hoc differunt quod intellectus speculativus considerat verum absolute, practicus autem considerat verum in ordine ad opus. Contingit autem quandoque quod verum ipsum, quod in se considerabatur, non potest considerari ut regula operis, sicut accidit in mathemathicis et hiis que a motu separata sunt. Unde huiusmodi veri consideracio est tantum in intellectu speculativo. Quandoque autem verum, quod in se consideratur, potest considerari ut regula operis. Et tunc intellectus speculativus fit practicus per extensionem ad opus. Hoc autem contingit dupliciter, quia aliquando illud verum, quod utroque modo potest considerari, non habet magnam utilitatem, nisi inquantum ordinatur ad opus; quia cum sit contingens,

---

4 ipsa *om VB* 18 operante *B* 22—23 absolute—verum *om B*

[1] D. 23 q. 3 a. 1.

non habet fixam veritatem, sicut est consideracio de operibus virtutum. Et tunc talis consideracio, quamvis possit esse speculativi et practici intellectus, tamen principaliter est practici intellectus. Aliquando autem illius veri consideracio habet in se quandam dignitatem, etiamsi nunquam ad opus ordinetur, sicut accidit in consideracione divinorum, quorum cogitacio dirigit in operacione. Et tamen visio Dei est finis ultimus eciam operis. Et tunc ista consideracio principaliter est in intellectu speculativo et secundario in practico.

Cum igitur fidei obiectum proprium sit veritas prima, que nonnisi inquantum est finis operis regulat in opere, fides principaliter erit in intellectu speculativo et secundario in practico; quia intellectus practicus et speculativus non sunt diverse potencie, sed differunt fine, ‖ ut dicitur in II Methaphisice[1] et in 3 De anima[2], f. 89r$^{\beta}$ inquantum practicus ordinatur ad opus, speculativus autem ad veritatis speculacionem tantum.

Ad I. ergo dicendum quod fides inclinat ad operandum et fugiendum, inquantum illud verum, quod in se potest considerari, accipitur ut regula operis.

Ad II dicendum quod inquantum verum, quod fides considerat, accipitur ut conveniens vel contrarium, secundum hoc fides inducit timorem vel spem vel aliquid huiusmodi.

Ad 3. dicendum quod coniunccio intellectus ad voluntatem non facit intellectum practicum, sed ordinacio eius ad opus; quia voluntas communis est et speculativo et practico. Voluntatis enim est finis. Sed finis invenitur in speculativo et practico intellectu.

---

7 cognicio *V* 8 tamen] eum *B* 8—11 finis—fidei *om B* 9 eciam *om V* 11 igitur] ergo *V* 12 nonnisi *om VB* regulatur *B* 16 et *om B* Methaphisice] Ethicorum *O* 18 speculacionem] inspectionem *B* 24 timorem] tremorem *VB* 28 communis] omnis *B* 29 voluntas *OB*

[1] c. 1, 993b 20. Com. Thom. l. 2 lect. 2. [2] Cf. De anima l. 3 c. 6, 430a 31—b2; Com. Thom. l. 3 lect. 11.

Ad 3. questionem dicendum quod, cum virtus ponat potenciam in ultimo quantum ad actum, non sufficit ad racionem virtutis quod potencia per actum ponatur in ultimo quantum ad obiectum, sed oportet quod ponatur in ultimo quantum ad modum agendi, ut scilicet actus sit bonus, non solum ex eo quod bonum est quod fit, sed ex eo quod bene fit, sicut patet in virtutibus moralibus.

Bonum autem intellectus est verum, quod est finis et perfeccio eius. Unde non sufficit ad racionem virtutis intellectualis quod per eam cognoscatur verum, sed oportet quod actus, quo verum consideratur, sit perfectus eciam ex modo, ut bene quis intelligat. Bene autem operari intellectum non contingit ex hoc quod ex bona voluntate eius operacio procedit, ut dictum est, sed ex efficacia intellectus ad obiectum proprium conspiciendum vel per se vel per resolucionem ad id quod in se conspicitur.

Fides autem per actum suum ponit intellectum in ultimo quantum ad obiectum, inquantum facit assentire prime veritati, non autem quantum ad modum proprium ipsius intellectus; quia intellectus noster non est per fidem tante efficacie, ut id quod credit inspicere per se possit vel ad ea que inspicit reducere. Et ideo fides non est virtus intellectualis.

A d I. ergo dicendum quod non omnis habitus, qui habet pro subiecto intellectum, potest dici virtus intellectualis, nisi perficiat intellectum et quantum ad obiectum et quantum ad modum actus.

Ad secundum dicendum quod ad principia aliarum scienciarum videnda sufficit lumen intellectus agentis. Et ideo habitus istorum principiorum est virtus. Sed ad visionem articulorum neque lumen intellectus agentis sufficit neque lumen fidei. Et ideo non est virtus intellectualis.

---

7 fit$_1$] sit *VB* 11 verum *om B* 14 ex *om O* 17 per$_1$] in *VB* 27 obiecto *B*

Ad 3. dicendum quod hoc quod fides non errat, sed semper verum dicit non est ex modo perfecto intelligendi, sed magis ex alio quod est extra intellectum. scilicet ex racione infallibili, que dirigit voluntatem.

[Articulus 4]

Utrum sit virtus et utrum sit habitus[1].

Ad 4. sic proceditur: [1.] Videtur quod fides nullomodo sit virtus. Nulla enim virtus preter intellectualem habet verum pro obiecto nec est habitus cognitivus, sed operativus. Sed fides est habitus cognitivus habens verum pro obiecto. Ergo cum non sit virtus intellectualis, videtur quod nullo modo possit dici virtus.

2. Preterea: credere videtur univoce dici, secundum quod credimus articulos et secundum quod dicimur alia credere. Sed fides aliorum non est virtus. Ergo nec fides articulorum.

3. Preterea: omne quod est contra racionem est vituperabile; quia malum hominis est contra racionem esse, ut dicit Dyonisius || 4. capitulo De divinis f. 89va nominibus[2]. Sed fides, cum faciat abnegare racionem, videtur contra racionem esse. Ergo credere est vituperabile. Ergo fides non est virtus.

4. Preterea: sicut per fidem cognoscimus ea que supra racionem sunt, ita eciam per prophetiam. Sed prophetia non dicitur virtus. Ergo nec fides.

5. Preterea: in Deo dicuntur esse virtutes exemplares. Sed fides non habet exemplar in Deo. Ergo fides non est virtus.

---

6 *Inscriptio habetur solum ut rubrica in marg. V* 9 habet] nec est *B* 10 habitus] huiusmodi *O* 10—11 sed—cognitivus *om B* 22 videtur *om B*

[1] Cf. De ver. q. 14 a. 3; S. th. 2. 2 q. 4 a. 5. [2] De div. nom. c. 4 § 32 MG 3, 732. Thom. c. 4 lect. 22: Igitur privatio est malum . . . et sine mente et sine ratione . . .

[1.] Sed contra: Nichil iustificat nisi virtus, sed fides iustificat, Ro V|1 „Iustificati ergo ex fide“. Ergo fides est virtus.

2. Preterea: vita spiritualis est per virtutem. Sed spiritualis vita est per fidem, ut dicitur Ro.[1] et Abac. I.[2] Ergo fides est virtus.

3. Preterea: per virtutem efficiuntur filii Dei. Hoc autem fit per fidem. Io 1|12 „Dedit eis potestatem“ etc. Ergo fides est virtus.

1. Ulterius videtur quod fides non sit virtus una[3]. Quidam enim articuli fidei sunt de eternis, ut qui pertinent ad trinitatem personarum; quidam vero de temporalibus, sicut qui pertinent ad incarnacionem Christi. Sed sciencia et sapiencia sunt diversa dona per hoc quod sunt de temporalibus et eternis. Ergo fides non est una virtus.

2. Preterea: spes et timor differunt per hoc quod spes est de bonis futuris, timor vero de malis. Sed fides est de utrisque, quia est de supliciis et de premiis. Ergo fides non est una virtus.

3. Preterea: ad fidem pertinent multa, que sunt moralis philosophie sicut fornicacionem esse mortale peccatum, et que sunt naturalis sicut mundum non esse eternum, et que sunt prime philosophie sicut Deum habere curam de actibus humanis. Ergo videtur quod fides non sit unus habitus.

[1] Sed contra: Eph. 4|5 „una fides“.

2. Preterea: sicut prudencia dirigit intencionem in politicis, ita fides in gratuitis, ut dicit Augustinus[4]. Sed prudencia est una, quamvis in diversis intencionem dirigat. Ergo et fides.

---

2 V] VI *VB* 4—5 sed — est] est autem spiritualis vita *VB* 5 Abac.] Bac *B* 10 fides *om B* 12 quidam] quidem *O* 19 premiis] mediis *B* 31 et *om O*

[1] Rom 1, 17: Iustus autem ex fide vivit. [2] Hab 2, 4: Iustus autem in fide sua vivit. [3] Cf. S. th. 2. 2 q. 4 a. 5. [4] Cf. Enarr. in ps. 31 n. 4 ML 36, 259.

Respondeo dicendum ad 1. questionem quod sicut supra dictum[1] est, cum virtutis sit reddere opus bonum, operacio potest dici bona vel formaliter, inquantum procedit ex potencia, que movetur in bonum secundum racionem boni, vel materialiter, secundum quod est congruus et connaturalis potencie.

Utroque modo actus fidei est bonus, quia et congruit intellectui, inquantum est verorum et iterum procedit a voluntate inperante, que movetur in bonum quasi in obiectum. Ex parte autem intellectus, quamvis habeat bonitatem racione obiecti, non tamen habet perfeccionem; quia deficit modus, ut dictum est[2], eo quod non habet conspicuam veritatem, cui adheret. Sed ex parte voluntatis potest habere perfeccionem, inquantum voluntas perfecta in appetitu boni firmitatem et certitudinem facit in fide. Et ideo Bernardus[3] dicit, quod „fides est voluntaria quedam et certa prelibacio nondum propalate veritatis".

Unde patet quod fides virtus est non quidem intellectualis, sed eo modo, quo conmuniter loquuntur de virtute, que producit actum bonum ex bonitate voluntatis procedentem. Nec tamen est virtus moralis, quia non est ordinativa appetitus sensibilis, ut consistat circa delectaciones et tristicias et operaciones sicut circa materiam vel obiectum, sed est virtus theologica; quod quidem genus philosophi non cognoverunt.

Ad I. ergo dicendum quod prima proposicio habet verita| tem de virtutibus, quas philosophi cognoverunt; f. 89$^{v\beta}$ qui preter intellectuales nullas virtutes nisi morales posuerunt.

Ad II. dicendum quod racio inclinans voluntatem ad credendum articulos est ipsa veritas prima, que infallibilis est; sed racio, que inclinat voluntatem ad

8 est *om B* 11 racione] ex parte *B* 15 inquantum tamen *B*

[1] D. 23 q. 1 a. 3. [2] D. 23 q. 2 a. 1. [3] De consideratione l. 5 c. 3 n. 6 ML 182, 791.

credendum alia, est vel aliquod signum fallibile vel dictum alicuius scientis, qui et falli et fallere potest. Unde voluntas non dat infallibilem veritatem intellectui credenti alia credibilia, sicut dat infallibilem veritatem credendi articulos fidei. Et propter hoc fides est virtus et non alia.

Ad 3. dicendum quod fides non est contra racionem, sed supra racionem. Et ideo non dicitur quod facit abnegare racionem quasi racionem veram destruens, sed quia eam „captivans in obsequium Christi", ut dicit Apostolus I Cor. X[1].

Ad 4. dicendum quod prophetia nullo modo potest esse virtus neque intellectualis, cum non per eam perficiatur operacio intellectus secundum modum intellectui connaturalem; quia ea que per prophetiam revelantur non possunt resolvi ad principia naturaliter cognita, neque est virtus theologica; quia non habet Deum pro obiecto, sed res temporales neque iterum actus intellectus per prophetiam a voluntate inperatur.

Ad V. dicendum quod fides habet exemplar in Deo quantum ad id quod perfeccionis in ipsa est, scilicet cognicionem et certitudinem, sed non quantum ad id quod est inperfeccionis. Ex hoc enim non habet racionem virtutis.

Ad II questionem dicendum quod habitus multitudinem et unitatem habet ex obiecto. Obiectum autem fidei est veritas prima, que est simplex et inmaterialis. Et ideo in fide invenitur duplex unitas. Ex hoc enim quod unum et simplex est, cui fides innititur, habitus fidei in habente non dividitur in plures habitus. Ex hoc autem quod veritas est, habet potenciam uniendi diversos habentes fidem et similitudinem unius fidei, que attenditur secundum idem creditum; quia, sicut Dyonisius[2] dicit VII. capitulo De divinis nomi-

2 et$_1$] eciam *OB* 10 quia] quasi *B* 14 intellectus] motus *B* 23 non] quod *B* 27 inmaterialis] innaturalis *B* 33 sicut] ut *B*

[1] 2 Cor 10, 5. [2] De div. nom. c. 7 § 3 MG 3, 872. S. Thom. c. 7 lect. 5: Si enim cognitio est unitiva eorum qui noverunt,

nibus, veritas habet vim colligendi et uniendi. E contrario error et ignorancia divisa sunt.

Ad I ergo dicendum quod fides non est de aliquo temporali sicut de obiecto; sed inquantum pertinet ad veritatem eternam, que est obiectum fidei, sic cadit sub fide, sicut fides credit passionem, inquantum Deus est passus.

Ad II. dicendum quod spes et timor ad affectum pertinent, cuius proprium obiectum est bonum et malum inquantum huiusmodi. Et ideo diversificantur secundum differenciam diversam boni et mali. Sed bonum et malum non differunt in racione veri. Et ideo fides, cuius obiectum est verum, non distinguitur ex hoc quod alico modo est de bonis et malis.

Ad 3. dicendum quod fides considerat omnia ista diversa sub una racione, scilicet secundum quod innituntur veritati prime. Et ideo fides non diversificatur penes ea, quamvis sciencie diverse sint de eis que considerantur sub racionibus propriis, que diverse sunt.

[Articulus 5]

Utrum fides sit prior aliis virtutibus[1].

Ad V. sic proceditur: [1] Videtur quod fides non sit prior aliis virtutibus. Omnes enim virtutes simul infunduntur, sed eorum que sunt simul unum non est post alterum. ‖ Ergo fides non est prior aliis virtutibus. f. 90ra

2. Preterea: fundamentum est prima pars edificii. Sed Luc. XII, 4 super illud „dico vobis amicis meis“ dicit Glossa[2] „fortitudo est fundamentum fidei“. Et Bernardus[3] dicit, quod in humilitate fundantur cetere

3 de] ab *B* 8 dicendum *om O* 11 diversam *om B* 18—19 que ea considerant *VB* 21 *rubrica in marg. V* 23 sed omnes *B* 26 XI *B* 29 Bernardus] hoc *B*

ignorantia autem est semper transmutationis causa et divisionis ignoranti ex se ipso. [1] Cf. S. th. 2. 2 q. 4 a. 7. [2] Glossa ordinaria ad locum. ML 114, 294. Biblia sacra cum glossa interlineari ordinaria, ed Ven. 1588 t. 5, 157r: Nam sicut fortitudinis incentivum est fides, ita fidei fundamentum est fortitudo. [3] De consid.

virtutes. Et similiter timor videtur esse fundamentum, quia dicitur „inicium sapiencie timor domini“ [1]. Ergo videtur quod fides non sit prima.

3. Preterea: virtutes theologice, ut prius dictum est [2], ad hoc sunt, ut fiat quedam hominis ordinacio ad finem. Sed spes et caritas propinquiores sunt fini quam fides, quia habent finem pro obiecto sub racione finis. Ergo fide priores sunt.

4. Preterea: super Psalmum [3] „Noli emulari“ Glossa [4] dicit, „quod spes introducit ad fidem“. Ergo spes prior est fide.

5. Preterea: secundum ordinem potenciarum est ordo habituum. Sed fides est in intellectu, secundum quod est motus a voluntate, ut ex predictis patet. Cum ergo caritas sit in voluntate, videtur quod caritas sit prior fide. Et sic fides non est prima.

6. Preterea: fides principaliter est in intellectu speculativo. Sed speculativa vita sequitur activam, quia nullus pervenit ad contemplative ocium, nisi prius depuretur mens per exercicium active. Ergo virtutes morales, que pertinent ad vitam activam, sunt prius fide.

[1.] Sed contra: cognicio precedit affeccionem, quia nichil diligitur nisi cognitum, ut Augustinus [5] dicit. Sed fides est in cognicione, cetere autem virtutes in affeccione consistunt. Ergo fides aliis prior est.

2. Preterea: in omnibus virtutibus requiritur recta intencio. Sed fides intencionem dirigit, ut dicit Augustinus [6]. Ergo fides est ante alias virtutes.

3. Preterea: per omnes virtutes homo accedit ad

---

7 habuerunt *V* 14 motus *om B* 16 fide *om B* et *om B* 20 deputetur *V* 28 alias *om V* 29 preterea—virtutes *om B*

l. 5 c. 14 n. 32 ML 182, 806: virtutum siquidem bonum quoddam atque stabile fundamentum humilitas. [1] Ps 110, 10; Sir 1, 16 (Prov 1, 7; 9, 10). [2] D. 23 q. 1 a. 4. [3] Ps 36, 1. [4] Glossa interlinearis ord. Biblia sacra ed. Ven. 1588 t. 3 f. 136v. [5] De trin. l. 8 c. 4 n. 6 ML 42, 951: Sed quis diligit quod ignorat? Sciri enim aliquid et non diligi potest, diligi autem quod nescitur, quaero, utrum possit. [6] Enarr. in ps. 31 n. 4 ML 36, 259.

Deum. Sed „accedentem ad Deum oportet credere“, ut dicitur Heb. XI 6. Ergo fides est ante alias virtutes.

Respondeo dicendum quod aliquid potest dici prius altero tempore et natura. Tempore quidem omnes virtutes simul sunt, quia simul divinitus infunduntur. Sed secundum naturam ordo virtutum pensandus est ex actibus sicut eciam et ordo potenciarum, que simul in anima concreantur. Actus autem fidei consistit in cognicione veri, quam presupponit affeccio boni, que in omnibus aliis virtutibus exigitur. Et ideo fides quantum ad id quod fidei est, prior est omnibus aliis virtutibus secundum naturam.

Ad I ergo dicendum quod obieccio illa procedit de ordine temporis.

Ad II. dicendum quod fundamentum dicitur in spiritualibus methaphorice ad similitudinem fundamenti materialis. Potest autem ista similitudo attendi quantum ad duo, scilicet quantum ad ordinem, quia fundamentum precedit alias partes; et eciam quantum ad virtutem fundamenti, quia fundamentum totum edificium sustentat.

Quorum utrumque in fide per similitudinem invenitur, quia ipsa omnibus aliis naturaliter prior est et alia in ipsa firmantur, quia „sine ipsa inpossibile est placere Deo“. He. XI 6 Fortitudo autem dicitur fundamentum, quantum ad alterum, in quantum scilicet f. 90r$^{\beta}$ spirituale edificium firmum contra adversa reddit; humilitas contra prospera, que sunt occasio culpe; sed timor contra ipsam culpam, quia „timor domini expellit peccatum“ Eccli I 27. Et preterea timor precedit alia, que ad affeccionem pertinent, cum caritatem introducat, ut dicit Augustinus[1].

Ad 3. dicendum quod spes et caritas sunt propinquiores fini quantum ad consecucionem, quia caritas

4 et tempore *VB* 6 sed *om O* 7 eciam *om B* 8 comunicantur *V* 24 alie *VB* 27 contra adversa *om O* reddat *B* 31 ad caritatem pertinet *B*

[1] In ep. Ioan. tr. 9 n. 4 ML 35, 2048.

quodammodo attingit finem. Unde ex hoc non habent quod sint secundum naturam prius fide, sed consecuntur eam, quia eis finem ostendit.

Ad 4. dicendum quod sicut finis est prior in intencione et posterius in esse, ita quanto aliquid est propinquius fini, est prius in proposito, quamvis sit posterius in esse vel tempore vel natura. Et ideo spes, secundum quod magis propinquat ad consecucionem finis quam fides, precedit fidem in proposito, sed non in esse. Et secundum hoc dicitur spes introducere ad fidem, non que iam sit, sed que proponitur futura, sicut cum alicui proponuntur bona eterna primo vult ea, et secundo eis inherere vult per amorem, et 3^0 vult sperare ea, et 4^0 vult credere ea, ut credens possit iam sperare et amare et habere. Unde in essendo fides prior est.

Ad V dicendum quod quamvis fides presupponat voluntatem, non tamen presupponit voluntatem iam amantem, sed amare intendentem, inquantum est fides; quia non potest affectus firmari in aliquo per amorem, in quo intellectus firmatus non est per assensum, sicut eciam non potest tendere in aliquod per desiderium, quod prius intellectus non apprehenderit. Unde iste est naturalis ordo actuum quod prius apprehenditur Deus, — quod pertinet ad cognicionem precedentem fidem, — deinde aliquis vult ad eum pervenire, deinde amare vult et sic deinceps, ut prius est dictum.

Ad VI. dicendum quod fides non pertinet tantum ad vitam contemplativam, inmo est principium et active et contemplative, in quantum ostendit finem utriusque.

Deinde queritur de formacione fidei et circa hoc queruntur 4^{or}: Primo utrum fides per caritatem formetur, secundo utrum fides informis sit donum Dei, 3^0 utrum sit in demonibus, 4^0 utrum remaneat caritate adveniente [1].

8 appropinquat *V* 9 fidem] fides *B* 13 vult *om B* 23 apprehendit *VB* 28 non *om B* 30 in—utriusque *om B*

[1] Hae quaestiones hic omittuntur.

Littera.

|| „Accipitur autem fides etc.“ Fides proprie dicitur f. 92va
ex hoc quod aliquis assentit eis que non videt. Hoc autem contingit dupliciter: Uno modo, secundum quod homo inducitur per racionem humanam; et sic dicitur fides opinio vehemens. Et adhuc magis extenso nomine: omnis certitudo, que fit per racionem humanam, eciamsi ad visionem inducat, dicitur fides, secundum quod argumentum dicitur racio rei dubie faciens fidem. Dicitur autem et veracitas hominis fides, inquantum est causa, quod eciam credat quis de hiis eciam que non vidit. Et sic dicit Tullius[1] quod fides est fundamentum iusticie, fidem pro fidelitate accipiens. Et ulterius ipsa consciencia, secundum quam aliquis hanc veracitatem tenet, dicitur fides. Ro XII[2] „Omne quod non est ex fide“. Glossa[3] „id est ex consciencia“. Alio modo, secundum quod homo inducitur per racionem divinam. Et sic dicitur fides ipse habitus, quo creditur sive sit formatus sive sit informis, et actus et obiectum et sacramentum, inquantum est causa et signum huius fidei et quelibet certitudo, que habetur || de divinis f. 92vβ
extenso nomine dicitur fides, eciam si videantur.

„Non sicut corpora.“ Secundum quod hic experimentalem cognicionem, quam quis habet de fide sua separat Augustinus a 4or generibus visionum, scilicet a visione exteriori per hoc quod dicit „sicut corpora“ etc; et a visione ymaginacionis, que ex ipsa relinquitur, in hoc quod dicit et „per ipsorum ymaginaciones“ etc; et a visione ymaginative, que ex diversis ymaginibus rerum visarum format aliquam rem nun-

1 *in marg. O* 2 fides$_t$ *om V* 6 et *om B* 9 racio *om OV* 11 que eciam *O* 17 inducitur *B* 19 informis] informatus *O* 23 non] nos *B* 25 scilicet] sed *O* 29 a *om O* 27 ymaginaciones] ymaginacionem *B*

[1] Cicero, De officiis l. 1 c. 7 § 23. M. T. Ciceronis scripta ed. C. F. W. Müller IV. 3 (Lipsiae, Teubner 1904) 9. [2] Rom 14, 23. [3] Glossa interlinearis ed. Ven. t. 6, 30: Quod fit contra fidem id est conscientiam, ut credatur malum esse.

quam visam, in hoc quod dicit „non sicut ea que videmus etc“; et a visione intellectuali eorum, que sunt extra nos. Per hoc quod dicit „nec sicut hominem“ etc.

„Quid est fides nisi credere quod non vides.“ Hic diffinitur habitus fidei per actum proprium.

Distinccio XXIIII.

„Hic queritur, si fides tantum de non visis est.“ Postquam determinavit Magister de fide secundum suam substanciam, hic determinat de ea in comparacione ad suum obiectum. Et introducitur pars ista occasione diffinicionis fidei ab Apostolo date, qua fidem „argumentum non apparencium“ dicit. Dividitur autem hec pars in duas: In prima inquirit, utrum fides sit de non visis, in secunda, utrum sit de non cognitis, ibi: „post hoc queri solet“ etc. Circa primum duo facit: primo ostendit fidem proprie loquendo de non visis esse, secundo removet quandam instanciam, que posset fieri, ibi: „si vero queritur, utrum Petrus“ etc.

Hic tria queruntur: Primo, quid sit obiectum fidei, secundo, qualiter se habeat ad nostram cognicionem, 3⁰ de merito et laude fidei.

[Articulus 1.]

Utrum veritas increata sit obiectum fidei[1].

Ad I. sic proceditur: [1] Videtur quod veritas increata non sit obiectum fidei. Fides enim est de hiis que in simbolo continentur, quod est colleccio credendorum. Sed in simbolo continentur quedam que ad creaturam pertinent sicut passio et huiusmodi. Ergo obiectum fidei non est veritas increata.

2. Preterea: „fides“, ut Augustinus[2] dicit, „per

1 que non *VB* 2 et eciam *V* 3 nos] eos *V* 8 est etc *V* 15—16 non cognitis] incognitis *VB* 16 hec *V* 25 *rubrica in marg. V*

[1] Cf. De ver. q. 14 a. 8; S. th. 2. 2 q. 1 a. 1. [2] Locum non inveni.

sanctam scripturam instruitur". Sed in ea multa de creaturis continentur. Ergo fidei obiectum non est tantum veritas increata.

3. Preterea: fides a prophetica revelacione inicium sumpsit. Sed prophetia est de rebus creatis, cum concernat differencias temporis, quibus creatura subiacet. Ergo et fides.

4. Preterea: forma universalis non est principium operandi, quia est a motu remota. Unde racio universalis, que est formarum universalium, non movet, sicut patet per Philosophum in 3. De anima[1]. Sed veritas prima est magis a materia et motu remota, quam aliqua forma universalis. Cum ergo fides sit operativus habitus quodam modo, quia per dileccionem operatur, ut dicitur Gal. 4[2], videtur quod obiectum fidei non possit esse veritas prima.

5. Preterea: virtutes theologice, ut supra dictum est[3], ordinant nos in finem. Sed finis noster non tantum est Deus, sed eciam gloria creata. Ergo et fides eciam circa veritatem creatam est.

[1] Sed contra est quod dicit Dyonisius VII capitulo De divinis nominibus[4] quod divina fides est circa simplicem et semper existentem veritatem. Hec autem est veritas increata. Ergo obiectum fidei est verum increatum.

2. Preterea: ab eodem res denominatur, a quo recipit speciem. Sed habitus speciem recipiunt ab obiecto. f. 93ra
Cum ergo fides dicatur a Deo theologica virtus, videtur quod obiectum proprium eius est veritas increata.

1. Ulterius videtur quod fides non sit circa verum conplexum[5], quia, ut dictum est[6], obiectum fidei est

6 continuat *O* 20 est *om B* 21 XII *O* 25 increatum] in creatura *B* 26 eadem re *B* qua *B* 27 recipit *B*

[1] De anima l. 3 c 9, 432b 26. Com. Thom. l. 3 lect. 14. [2] Gal 5, 6. [3] L. 3 d. 23 q. 1 a. 4 ad q. 3. [4] De div. nom. c. 7 § 4 MG 3, 872. S. Thom. c. 7 lect. 5: Haec ratio est simplex et existens existentis veritas, circa quam ... divina fides est. [5] Cf. S. th. 2. 2 q. 1 a. 2. [6] Cf. n. 4.

simplex veritas. Sed in simplici non cadit aliqua conplexio. Ergo non est circa verum conplexum.

2. Preterea: fidei succedit visio. Sed visio patrie erit de inconplexo. Ergo et fides.

3. Preterea: fides formatur caritate. Sed caritas habet pro obiecto bonum inconplexum. Ergo et fides verum inconplexum.

4. Preterea: sicut dicit Philosophus in 3 De anima[1], in conposicione intellectuum cadit tempus. Sed de substancia fidei non videtur esse tempus. Alioquin nullus fuisset tempore nativitatis Christi fidelis, nisi qui credidisset eum tunc nasci. Ergo fides non est circa verum conplexum.

5. Preterea: fides eadem est semper. Sed enunciabilia non manent eadem, quia nos credimus Christum natum, quem patres crediderunt nasciturum. Ergo fides non est enunciabilium.

[1] Sed contra: fides est media inter opinionem et scienciam. Sed tam sciencia quam opinio est enunciabilium. Ergo et fides.

2. Preterea: per fidem differt fidelis ab infideli. Non autem differt per inconplexum, sed per conplexum, quia Iudeus credit adventum Christi sicut et nos; sed in hoc distinguimur, quod nos credimus eum venisse, quem ipsi expectant venturum. Ergo fides est de conplexis.

1. Ulterius videtur quod fidei possit subesse falsum[2]. Omne enim verum contingens potest esse falsum. Sed fidei subest aliquod verum contingens sicut passio Christi, quia fuit voluntaria et ex libero arbitrio tam Christi quam Iudeorum dependens. Ergo fidei potest subesse falsum.

2. Preterea: in tempore ante Christi passionem, post-

3 patrie] proprie *O* 22 sed] scilicet *B* conplexum] incomplexum *B* 24 quam *O* 28 verum *om B* 31 fidei *om B* 32 preterea] preterea scimus *OVB sed „scimus" videtur omittendum; forse est lapsus calami auctoris.*

[1] De anima l. 3 c. 6, 430b 1. Com. Averr. l. 3 c. 5 text. 22. Com. Thom. l. 3 lect. 11. [2] Cf. S. th. 2. 2 q. 1 a. 3.

quam credidit Abraham passionem Christi futuram, constat quod possibile tunc fuit Deo alio modo humanum genus liberare. Quod si fuisset, fides Abrahe falsificata fuisset. Ergo fidei potest subesse falsum.

3. Preterea: spei potest subesse falsum, quia aliquis sperat se habiturum vitam eternam, qui nunquam habebit; et similiter caritati, quia aliquis promittit aliquid ex caritate quod non faciet, sicut de Apostolo patet I. Cor. I[1]. Ergo et fidei.

4. Preterea: latria per fidem dirigitur. Sed in actu latrie aliquis potest errare, sicut qui credit esse hostiam consecratam, que non est consecrata, et eandem adorat. Ergo et fidei potest subesse falsum.

[1.] Sed contra: fides est cercior quam sciencia, ut supra dictum est[2]. Sed sciencie non subest falsum. Ergo multo minus fidei.

2. Preterea: per nullam virtutem producitur actus malus, quia bonus usus potencie est actus virtutis, ut Augustinus[3] dicit. Sed opinari falsum est malus usus intellectus. Ergo cum fides sit virtus, non convenit fidei subesse falsum.

Respondeo dicendum ad I. questionem quod in obiecto alicuius potencie est 3[a] considerare scilicet id quod est formale in obiecto et id quod est materiale et id quod est accidentale, sicut patet in obiecto visus; quia formale in ipso est lumen, quod facit colorem actu visibilem, materiale vero ipse color, qui est potencia visibilis, accidentale vero sicut quantitas et alia huiusmodi, que colorem concomitantur. Et quia unumquodque agit, secundum quod est in actu et per formam suam, obiectum autem est activum in | virtutibus f. 93r$^{\beta}$

1 passionem *om B* 5 esse *B* 12 eam *VB* 20 ergo *om B* 20—21 contingit *V* 23 est] contingit *VB* 26 in—est] inest *B* quod] quia *O*

[1] L. c. nihil huiusmodi habetur. Probabiliter est allusio ad iter Pauli Hispanum (Rom 15, 24. 28), de quo itinere in hac eadem difficultate expresse loquuntur Albertus l 3 d. 25 a. 3; Alexander Halens. S. p. 3 q. 68 m. 7 a. 1; Bonaventura l. 3 d. 24 a. 1 q. 1. [2] L. 3 d. 23 q. 2 a. 2 ad q. 3. [3] De libero arbitrio l. 2 c. 19 n. 50 ML 32, 1268.

passivis: ideo racio obiecti, ad quam proporcionatur potencia passiva est id quod est formale in obiecto. Et secundum hoc diversificantur potencie et habitus, que ex racione obiecti speciem recipiunt.

Et hec tria est invenire in obiecto fidei. Cum enim fides non assenciat alicui nisi propter veritatem primam credibilem, non habet quod sit actu credibile nisi ex veritate prima, sicut color est visibilis ex luce. Et ideo veritas prima est formale in obiecto fidei et a qua est tota racio obiecti. Quicquid autem est illud quod de Deo creditur, sicut est passum esse vel si quid huiusmodi, hoc est materiale in obiecto fidei. Ea autem que ex istis credibilibus consequuntur sunt quasi accidentalia. Et ideo concedendum est quod obiectum fidei proprie loquendo est veritas prima.

Ad primum ergo dicendum quod passio et alia huiusmodi, que continentur in simbolo, se habent materialiter ad obiectum fidei.

Ad II. dicendum quod in sacra scriptura instruitur fides et quantum ad essencialia fidei, sicut sunt ea que de Deo in ipsa dicuntur; et quantum ad accidentalia, sicut sunt gesta patrum et alia huiusmodi que ad fidem pertinent, in quantum divinitus sunt inspirata et dicta.

Ad 3. dicendum quod prophetia et fides, quamvis sint de eodem sicut de passione Christi, non tamen sunt idem; quia fides respicit formaliter passionem ex parte ista, qua subest aliquid eternum, scilicet inquantum Deus est passus, hoc autem quod est temporale respicit materialiter. Sed prophetia e contrario.

Ad 4. dicendum quod non movent forme universales, secundum quod in sua universalitate considerantur, sed secundum quod applicantur ad aliquid particulare. Et similiter veritas prima movet ad operandum, inquantum aplicatur ad hunc vel ad illum, sicut

4 que est *B* 9 et$_1$ *om B* 9—10 et$_2$—obiecti *om O* 11 aliquid *B* 16 passio] veritas *B* 19 instruit *V* 21 Deo—ipsa] ipso *B* 27 sunt] secundum *B om O* ex] in *B* 29 est *om B*

dum consideratur quod est finis, ad quem iste vel iste pervenire potest. Vel dicendum quod universales forme non sunt subsistentes in rerum natura. Et ideo ad operacionem se habere non possunt [vel] ad accionem neque sicut principium neque sicut terminus. Et ideo non est similis racio de Deo, qui in se ipso subsistit.

Ad V. dicendum quod beatitudo creata consistit in operacione nostra ad Deum. Operacio autem ex obiecto cognoscitur. Unde principaliter est fides de ipso Deo et secundario de beatitudine creata.

Ad II. questionem dicendum quod, sicut Augustinus[1] dicit, credere est cum assencione cogitare. Assentire autem non potest aliquis nisi ei quod verum est. Veritas autem non consistit nisi in conplexione vel intellectuum vel vocum. Et ideo fidei obiectum oportet quod sit verum conplexum. Et hoc patet per hoc, quod quidam philosophi illam operacionem intellectus, qua conponit et dividit, apellaverunt fidem.

Unde illi qui dixerunt quod fidei obiectum est inconplexum propriam vocem ignoraverunt. Quod enim dicitur „credo incarnacionem“ non potest intelligi informando concepcionem incarnacionis, quia sic quilibet qui intelligit quid significatur per nomen, crederet incarnacionem. Unde sensus est: „credo incarnacionem esse vel fuisse“.

Patet ergo quod fidei, inquantum est fides, convenit circa verum conplexum esse. Convenit eciam sibi ex ipsa racione obiecti proprii, quod est veritas prima, de qua non potest sciri quid est, ut intellectus in eius cognicione formacione utatur, sed cognoscitur quia est. Quod fit per intellectum conponentem et dividentem.

Ad I. ergo dicendum quod quamvis prima veritas sit simplex secundum rem, tamen in ea inveniuntur multa secundum racionem, prout || intellectus diversas f. 93va concepciones veras de ipso format. Et secundum hoc

8 ex] in *B* 10 Deo *om B* 17 operacionem] opinionem *B* 26 per hoc patet *V* fides *om B* 27 sibi] filii *B* 35 accepciones *B*

[1] De praedestinatione sanctorum c. 2 n. 5 ML 44, 963.

eciam illas concepciones diversas potest conponere et dividere et enunciacionem de Deo formare.

Ad secundum dicendum quod operacio intellectus componentis et dividentis resolvitur ad operacionem eius qua respicit aliquod inconplexum; quia quidquid est principium demonstrandi an, est simpliciter et quia est hoc. Et ideo eciam illud quod fidei succedit, in quo fides consummabitur, erit visio inconplexi.

Ad 3. dicendum quod obiectum caritatis est bonum, quod secundum Philosophum in VI Methaphisice[1] est in rebus, obiectum autem fidei est verum, quod conpletur per operacionem anime. Et quia composicio et divisio, que est in enunciabilibus, non est nisi per animam: ideo conplexum est obiectum fidei, quamvis inconplexum sit obiectum caritatis.

Ad 4. dicendum quod tempus determinatum est de hiis que accidentaliter se habent ad fidem, sicut eciam se habet accidentaliter ad predicatum et subiectum, que componit et dividit intellectus. Ea autem que se habent accidentaliter ad fidem non sunt de necessitate salutis, nisi postquam determinata sunt per predicacionem et doctrinam.

Ad V. dicendum quod sustinencium fidem esse circa verum complexum quidam dixerunt quod est idem enunciabile, quod secundum tempora tria variatur. Quod in primo libro inprobatum est distinccione XLII[2]. Et propter hoc alii dixerunt quod articuli fidei non sunt idem quantum ad essenciam, sed quantum ad utilitatem. Quod eciam non bene dictum est, quia sic fides non esset eadem simpliciter, sed secundum quid. Et ideo dicendum est quod in ipso articulo quod est obiectum fidei conplexum est aliquid materiale,

4 in operacionem *B ad operaciones OV* 6 est] est est *OB* similiter *B* 12 anime *om B* 15 non sit *B* 18 habet] habent *VB* 19 intellectus *om B* 21 nisi] qui *B* 30 sed *om B*

[1] Metaph. l. 6 c. 4, 1027 b 26. Com. Thom l. 6. lect. 4. [2] L. 1 d. 41 q. un. a. 5 c. Cf. S. Bonaventura l. 1 d. 41 a. 2 q. 2 c Opp. omn. t. 1, 739.

scilicet ipsa passio, et aliquid formale scilicet res divina, et aliquid accidentale scilicet ipsum tempus. Unde fides variatur quantum ad accidens, non quantum ad essenciam.

Ad 3. questionem dicendum quod fides innititur veritati prime. Unde cum ista sit infallibilis, fidei non potest subesse falsum.

Ad primum igitur dicendum quod contingens non potest esse subiectum fidei, nisi secundum quod stat sub divina presciencia. Et secundum hoc habet necessitatem consequencie et sic cadit sub fide. Unde sicut presciencia non potest falli, ita nec fides.

Ad II. dicendum quod post tempus Abrahe Deus poterat alio modo genus humanum liberare quam per passionem Christi, loquendo de potencia absoluta, sed non secundum quod consideratur in ordine ad presciencia. Non enim poterat Deus, ut aliquid prescitum ab eo sit et postea non fiat, sicut non potest falli nec mutari. Et sic fides Abrahe fuerat de passione Christi, secundum quod stat sub divina presciencia.

Ad 3. dicendum quod spes non tendit in beatitudinem nisi ex supposicione meritorum. Alias esset presumpcio et non spes. Unde si deficientibus meritis iste ad beatitudinem non pervenit, ut speravit, spes non decipitur. Sed si starent merita et non optineretur vita eterna sperata, tunc subesset falsum. Et similiter nec caritas decipitur, quia semper vult illud quod Deo placitum est. Unde si aliquis postea conperiat aliquid ‖ non esse Deo placitum quod prius pla- f. 93$^{v\beta}$
citum estimabat, estimacio humana fallitur, non caritas.

Ad 4. dicendum quod fides non est de hac hostia [nisi] rite consecrata. Sed quod hec hostia rite sit consecrata, hoc est humane estimacionis. Et ex hac parte potest accidere error in latria.

---

8 igitur] ergo *VB* 9 obiectum *B* 14 per *om V* 16—17 scienciam *B* 18 postea] postmodum *VB* nec] vel *V* 19 ante passionem *B* 25—26 sed—falsum *om VB* 26—27 et similiter *om V* 29 esse] est *O* Deo *om B* 30 estimabatur *O* 32 sed *om B*

[Articulus 2.]

Utrum fides sit de visis[1].

Ad secundum sic proceditur: [1] Videtur quod fides sit de visis. I Cor. XII I|12 „videmus nunc per speculum in enigmate“. Et loquitur ibi de fide. Ideo fides est visio. Ergo credita sunt visa.

2. Preterea: lumen fidei se habet ad articulos sicut lumen naturale ad principia naturaliter cognita. Sed lumen naturale facit videre principia per se nota. Ergo et hoc lumen fidei facit videre articulos.

3. Preterea: intelligere videre est. Sed oportet eum qui audit intelligere que dicuntur ad hoc, quod credat. Ergo fides, que ex auditu est, de visis est.

4. Preterea: prophetia visionis causa est. Sed fides et prophecia in idem concurrunt, ut supra dictum est[2]. Ergo fides de visis est.

5. Preterea: illud quod est materiale in obiecto fidei est res creata, ut dictum est[3]. Sed res illa creata visui humano subiacet eciam sensibili sicut passio. Ergo cum fides sit de toto obiecto suo, fides de visis erit.

[1.] Sed contra: Heb. XI|1 „fides est argumentum non apparentium“. Ergo non est de visis.

[2] Preterea: „Deum nemo vidit umquam“. Io I|18 Sed fides proprie de Deo est. Ergo et fides de non visis est.

[3.] Preterea: fides gignit spem. Glossa[4] Math. I|2 Sed spes est de non visis Ro. VIII|24 Ergo et fides.

[1] Ulterius videtur quod fides possit esse de scitis[5], quia Deum esse est creditum. Sed hoc est scitum, quia demonstrative probatum. Ergo fides est de scitis.

2. Preterea: unum de generantibus scienciam est

---

2 *rubrica in marg.* V 4 nunc] non *O* 10 hoc *om VB* 18 ut—est *om O* 23 I] 2. *O* 24 et *om VB* 30 quia *om VB*

[1] Cf. S. th. 2. 2 q. 1 a. 4. [2] L. 3 d. 24 q. 1 a. 1. [3] Cf. supra a. 1 ad q. 1. [4] Glossa interl. ed. Ven. t. 5, 5. [5] Cf. De ver. q. 14 a. 9; S. th. 2. 2 q. 1 a. 5.

doctrina. Set fides quantum ad distinccionem credendorum est per doctrinam, quia „fides ex auditu“ est. Ro. X 17. Ergo fides est de scitis.

3. Preterea: omne illud ad quod habetur racio probans est creditum. Sed ad ea que sunt fidei potest haberi racio probans I Pe. IIII[1] „parati semper ad reddendum racionem de ea, que in nobis est, fide, spe“. Et commentator supra primum De divinis nominibus[2] dicit quod racio est prior auctoritate. Et Riccardus de Sancto Victore[3] dicit quod ad nullam veritatem probandam deficit racio. Ergo fides est de scitis.

4. Preterea: omnis probacio convincens intellectum ad assenciendum facit scienciam. Sed ad assenciendum hiis que sunt fidei convincitur intellectus per miracula, sicut supra dictum est de demonibus[4]. Ergo fides est de scitis.

[1] Sed contra: sciencia ex intellectu principiorum causatur. Sed de hiis que fides credit non possumus habere intellectum fide manente, scilicet in statu vie. Ergo fides non potest esse de scitis.

2. Preterea: sciencia est effectus racionis. Sed ea de quibus est fides sunt supra racionem. Ergo de hiis que sunt fidei non potest esse sciencia.

[1] Ulterius ‖ videtur quod ea de quibus est fides f. 94ra
sunt ignota; quia secundum Gregorium[5] apparencia non habent fidem, sed agnicionem. Sed ea que non

---

1 distinccionem] instruccionem *B* 7 referendum *B* fide et spe *V* 14—15 facit—assenciendum *om B* 16 est] d. 23 q. 13 ar. 1 *add in marg. O* 18 sciencia *om O* 20 scilicet] sed *B* 25 ea de] eadem *O*

[1] 1 Petr 3, 15: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quae in vobis est spe. [2] Est Thomas abbas Vercellensis. Paraphrasin eius de div. nom. c. 1 invenies: Dion. Carth. Opp. omn. 16, 39—43. Dictum ipsum non inveni; secundum sensum ex toto capitulo erui potuit. [3] De trin. l. 1 c. 4 ML 196, 892. [4] D. 23 q. 3 a. 3. [5] Hom. in evang. 26 n. 8 ML 76, 1202: Quae etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem.

habent agnicionem sunt ignota. Ergo ea que fidem habent ignota sunt.

2. Preterea: I Cor. XII[1] „oculus non vidit et auris non audivit et in cor hominis non ascendit que preparavit Deus diligentibus se". Set quecunque cognoscuntur in cor ascendunt. Ergo fides, que est de predictis, de ignotis est.

3. Preterea: omnis nostra cognicio ortum habet a sensu secundum philosophos[2]. Sed ea que cadunt sub fide nullo modo possunt reduci ad cognicionem sensibilem. Ergo de eis non est cognicio aliqua.

4. Preterea: omne quod cognoscitur est presens alico modo cognoscenti. Sed fides, ut dicit Augustinus[3], est de absentibus. Ergo ea que sunt fidei sunt ignota.

[1] Sed contra: omnis habitus in potencia cognitiva existens facit cognoscere suum obiectum. Sed fides est in potencia cognoscitiva existens sicut in subiecto, ut prius dictum est[4]. Ergo ea que sunt fidei aliquo modo cognoscuntur.

2. Preterea: infidelitas est ignorancia, ut patet I Thim. I|13 „Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea". Ergo fides est cognicio, et ita credita sunt cognita.

Respondeo dicendum ad I. questionem quod visio proprie loquendo est actus sensus visus. Sed propter nobilitatem istius sensus translatum est nomen visionis ad actus aliarum potenciarum cognitivarum secundum similitudinem ad sensum visus. Potest ergo attendi similitudo quantum ad genus cognicionis tantum. Et sic largo modo et inproprie omnis cognicio visio dicitur, et secundum hoc fides est de visis utcunque, sicut Magister dicit, non quidem visu exteriori, sed interiori.

3 I *om V* 4 non *om B* 17 cognitiva *O* 18 est] d. 23 q. 8 *add in marg. O* ex fide *B* 22 in *om OV* 27 cognitarum *B* 30 dicetur *V*

[1] 1 Cor 2, 9. [2] Cf. Metaph. l. 1 c. 1. [3] Ep. 147 (liber de videndo Deo) c. 2 ML 33, 599: Num satis est, ut inter videre et credere hoc distare dicamus, quia praesentia videntur, creduntur absentia. [4] L. 3 d. 23 q. 2 a. 4 ad q. 2.

Potest eciam ulterius attendi hec similitudo non solum quantum ad genus cognicionis, sed eciam quantum ad modum cognoscendi. Modus autem, quo sensus visus videt, est, inquantum species visibilis facti in actu per lumen formatur in visu. Unde transferendo nomen visionis ad intellectum proprie intelligendo videmus, quando per lumen intellectuale ipsa forma intelligibilis fit in intellectu nostro, sive illud lumen sit naturale, sicut cum intelligimus quiditatem hominis aut alicuius huiusmodi, sive sit supernaturale, sicut quo Deum in patria videbimus.

Et ulterius videri per intellectum dicuntur illa conplexa, quorum cognicio ex predicta visione consurgit, sicut per lumen naturale videmus principia prima, que cognoscimus statim, ut terminos cognoscimus; sive per lumen supernaturale, sicut est visio prophetie. Et ulterius eciam ea, que in ista principia resolvere possumus per racionem, || dicimur videre sicut ea, que scimus f. 94r$^{\beta}$ demonstracione probata. Et secundum hoc patet quod fides non potest esse de visis, quia forma ista intelligibilis, que principaliter est obiectum fidei scilicet Deus, formacionem intellectus nostri subterfugit et ideo non est ei pervius in statu vie, ut Augustinus[1] dicit. Nec iterum ea que sunt fidei ad principia visa reducere demonstrando possumus.

A d I. ergo dicendum quod visio ibi large accipitur secundum primum modum.

Ad II. dicendum quod termini principiorum naturaliter notorum sunt conprehensibiles nostro intellectui; ideo cognicio, que consurgit de illis principiis, est visio. Sed non est ita de terminis articulorum. Unde in futuro, quando Deus per essenciam videbitur, articuli erunt ita per se noti et visi sicut modo principia demonstracionis.

4 quantum *B* facta *V* 8 fit] sit *V* 9 cum *om O* 12 videre *VB* 12—13 inconplexa *O* 17 ulterius *om B* 22 ideo *om VB* 23 previus *B* 29 sunt] fiunt *O*

[1] Ep. 92. 147 ML 33, 318 sqq 596 sqq.

Ad 3. dicendum quod fidei precedit intellectus, quo intelligimus quid significatur per nomen, et non quo intelligimus, quid sit res ipsa; quia nomina ex effectibus Deo inponuntur.

Ad 4. dicendum quod prophetia respicit temporale quasi proprium obiectum, quod intellectu comprehendi potest. Et ideo prophetia est visio.

Ad V. dicendum quod de eo quod est materiale in obiecto fidei, scilicet incarnacio, non est fides, nisi secundum quod stat sub isto formali, sicut visus non est de colore, nisi secundum quod stat sub lumine. Et sic non cadit sub visu corporali nec intellectuali.

Ad secundam questionem dicendum quod fides, ut dictum est[1], comparatur ad aliquid dupliciter, scilicet per se et per accidens. Et quia quod per se pertinet ad fidem pertinet ad eam semper et ubique, ideo quod pertinet ad fidem racione huius vel illius, non est fidei per se, sed per accidens. Sic ergo quod simpliciter humanum intellectum excedit ad Deum pertinens, nobis divinitus revelatum, ad fidem per se pertinet. Quod autem excedit intellectum huius vel illius et non omnis hominis, non per se, set per accidens ad fidem pertinet. Ea autem que omnem intellectum humanum excedunt non possunt per demonstracionem probari, quia demonstracio in intellectu principiorum fundatur. Et ideo huiusmodi non possunt esse scita.

Sed quedam que sunt precedencia ad fidem, quorum non est fides nisi per accidens, inquantum scilicet excedunt intellectum huius hominis et non hominis simpliciter, possunt demonstrari et sciri sicut hoc quod est Deum esse. Quod quidem est creditum quantum ad eum cuius intellectus ad demonstracionem non attingit; quia fides, quantum in se est, ad omnia que fidem concomitantur vel secuntur vel precedunt, sufficienter inclinat. Et per hoc patet solucio ad primum.

1 fidem *VB* 3 defectibus *B* 14 dictum est] q. 1 huius d. ar. 1 *add in marg. O* 19—21 ad Deum—intellectum *om B* 22 se habet *B* 23 omnem *om B*

[1] L. 3 d. 24 q. un. a. 1 ad. 1.

Ad secundum dicendum quod fides determinatur per auditum doctrine proponentis, quid tenendum sit, sed non || probantis propositum. Et ita scienciam talis f. 94va
doctrina non facit.

Ad 3. dicendum quod racio humana precedit auctoritatem humanam et racio divina precedit auctoritatem divinam, cui fides innititur. Unde fides nostra ita se habet ad racionem divinam, qua Deus cognoscit, sicut se habet fides illius qui supponit principia subalternate sciencie a sciencia subalternante, que per propriam racionem ista probavit. Unde Apostolus[1] non monet racionem humanam inducere ad probandum fidem, [scilicet] divinam, ut quid Deus dixit, humanam autem ad defendendum, ut per eam ostendatur quod ea que fides supponit non sunt inpossibilia, non autem ita, quod sufficienter per racionem humanam ea que sunt fidei probari possunt. Et ideo verbum Riccardi[2] intelligendum est de probacione non sufficienti, sed aliquo modo persuadenti.

Ad 4. dicendum quod argumenta que cogunt ad fidem, sicut miracula, non probant fidem per se, sed probant veritatem annunciantis fidem. Et ideo de hiis que fidei sunt non faciunt scienciam.

Ad 3. questionem dicendum quod ad perfectam racionem cognicionis intellective tria requiruntur: Primo quod illud quod cognoscitur intellectui proponatur, secundo quod intellectus illis adhereat, 3^0 quod ea videat. Ea ergo que fidei sunt intellectui proponuntur, non quidem in seipsis, sed quibusdam verbis, que ad eorum expressionem non sufficiunt, et quibusdam similitudinibus ab eorum representacione deficientibus. Ideo dicuntur cognosci „in speculo et in enigmate“

3 ita] ideo *VB* sciencia *B* 12 scilicet] sed *OVB edd.* 13 dixit *ita quidem OVB edd. Sed videtur addendum esse „cognoscatur“ vel tale quid* 21 per se *om O* 22 verificantis *B* 28 ea] quia *O* 32 et ideo *VB*

[1] 1 Petr 3, 15. [2] De trin. l. 1 c. 4 ML 196, 892.

et propter hoc non videntur proprie loquendo, sed tamen intellectus assentit eis. Et propter hoc inperfecte cognoscuntur nec omnino ignorantur.

Ad I ergo dicendum quod Gregorius[1] loquitur de agnicione perfecta, que visionem includit.

Ad 2 dicendum quod in cor ascendit quod per operacionem cordis formari potest. Et hec est quod videtur. Et per istum modum que preparavit Deus diligentibus se nec in cor hominis ascendunt.

Ad 3. dicendum quod cognicio fidei ortum habet a sensu, inquantum significaciones nominum, que proponuntur a sensibus, cognovit. Sed hoc deficiunt a representacione eius circa quod est fides. Ideo fides proprie non habet cognicionem perfectam.

Ad 4m dicendum quod illud proprie dicitur presens cuius essencia intellectui vel sensui presentatur. Et ideo quia hoc facit visionem, ideo dicit Augustinus[2] quod videntur presencia, sed creduntur absencia. Et propter hoc eciam fides similatur auditui, quia de absentibus est, sicut auditu cognoscimus; que cum sint absencia, nobis recitantur[3].

---

5 perfecta *om OB* 6 cor hominis *B* quod] et *B* 7 est *om B* 12 sensibilibus *V* hoc *VB* 14 proprie *om O* 15 illud *om B* 18 sed] si *B*

[1] Hom. in evang. 26 n. 8 ML 76, 1202. [2] Ep. 147 c. 2 ML 33, 599. [3] Ultimus articulus et Littera hic omittuntur.

DESCLÉE & C
PIAZZA GRAZIOLI N. 1
ROMA 117

208.61
Aq 56 P
25999
AUTHOR AQUINAS, S. THOMAS
TITLE Quaestiones de Natura Fidei ex Commentario in lib. Tertii Sententiarum, distinctiones 23 et 24. (ed. F. Pelster, S. J.)
DATE DUE
BORROWER'S NAME
SEP 30
Vachon
STORAGE - CBPL
25999